

**Zeitschrift:** Divus Thomas

**Band:** 2 (1915)

**Artikel:** De natura inspirationis S. Scripturae

**Autor:** Iácome, Innocentius M.

**DOI:** <https://doi.org/10.5169/seals-762469>

#### **Nutzungsbedingungen**

Die ETH-Bibliothek ist die Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften auf E-Periodica. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Zeitschriften und ist nicht verantwortlich für deren Inhalte. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern beziehungsweise den externen Rechteinhabern. Das Veröffentlichen von Bildern in Print- und Online-Publikationen sowie auf Social Media-Kanälen oder Webseiten ist nur mit vorheriger Genehmigung der Rechteinhaber erlaubt. [Mehr erfahren](#)

#### **Conditions d'utilisation**

L'ETH Library est le fournisseur des revues numérisées. Elle ne détient aucun droit d'auteur sur les revues et n'est pas responsable de leur contenu. En règle générale, les droits sont détenus par les éditeurs ou les détenteurs de droits externes. La reproduction d'images dans des publications imprimées ou en ligne ainsi que sur des canaux de médias sociaux ou des sites web n'est autorisée qu'avec l'accord préalable des détenteurs des droits. [En savoir plus](#)

#### **Terms of use**

The ETH Library is the provider of the digitised journals. It does not own any copyrights to the journals and is not responsible for their content. The rights usually lie with the publishers or the external rights holders. Publishing images in print and online publications, as well as on social media channels or websites, is only permitted with the prior consent of the rights holders. [Find out more](#)

**Download PDF:** 19.07.2025

**ETH-Bibliothek Zürich, E-Periodica, <https://www.e-periodica.ch>**

auch die Metaphysik dementsprechend, den hl. Thomas aber lasse man nicht solche Lehren verteidigen, die in seinem System Widersprüche und logische Unmöglichkeiten bedeuten!

\* \* \*

Die Thesen der Studienkongregation stellen wahrhaftig die Grundfesten des Thomismus dar. Im einzelnen betrachtet mögen sie bloß für diesen oder jenen Teil der Philosophie Bedeutung haben, aber im Zusammenhange repräsentieren sie das Skelett eines großartigen Systems und wir können keine einzige These ohne beträchtlichen Schaden, ja ohne den Ruin des Systems aufgeben. Nehmen wir eine einzige hinweg, so entsteht eine Lücke, die nicht einen bloßen Schönheitsfehler, sondern auch für unsere gesamte Weltanschauung einen unersetzblichen Schaden bedeutet.

Das vereinigende Element aller Thesen ist die Lehre von Potenz und Akt, die in einer konkreten Gestalt als Forderung oder Ausschluß einer realen Zusammensetzung aus Wesenheit und Dasein die ganze metaphysische Forschung beherrscht, ihr eine Einheitlichkeit verleiht, in weiteren näher bestimmten Formen aber für die einzelnen Teile und Unterabteilungen der Philosophie synthetische Gesichtspunkte bietet. Philosophieren können wir vielleicht auch ohne diese Lehre — wie dies die Versuche der modernen Philosophie bekunden —, aber eine widerspruchslose, solide und einheitliche Weltanschauung, namentlich eine thomistische zu geben, vermögen wir ohne sie in keiner Weise.

---

## DE NATURA INSPIRATIONIS S. SCRIPTURAE

Scipsit FR. INNOCENTIUS M. IÁCOME, O. P.

### PROOEMIUM

De inspiratione Sacrarum Litterarum non catholici modo, sed protestantes quoque copiose disseruerunt. Quorum variis opinionibus praetermissis, in catholicorum solummodo regione consistere nobis est in animo; apud quos quidem mos fere viguit huius modi disquisitionem bifariam dividendi, priorem quaestionem existentiam inspirationis vocant, alteram autem essentiam seu naturam. Sed nos Scripturarum in-

spirationem existere ultro admittimus, tanquam stabile et fixum fidei catholicae dogma; quod quidem est fundatum, quo tota nostra disputatio nitetur de inspirationis natura, quam unam exutere volumus.

Iam vero in tota Sacrarum Litterarum scientia quaestio haec omnium est proculdubio praestantissima, cum praecipius sit et Hermeneuticae et Exegesis fons; quandoquidem inspiratio, ut ait P. Lagrange, commune est dogma, totam prorsus complectens Scripturam<sup>1</sup>. Fatendum nihilominus hanc rem nequaquam ante Concilium Tridentinum exquise explanatam fuisse. Unde merito de quaestionibus circa S. Scripturam P. Zanecchia ait eas minime esse omnes novas, et adiungit: „una tamen invenitur, ipsaque fundamentalis, cuius nullum fere vestigium ante saeculum XVI occurrit, et quae parum agitari cepit anno 1585, magis post concilium Vaticanum, et maxime post encyclicas Litteras *Providentissimus Deus* Leonis Papae XIII, quaestio nempe de divina inspiratione sacrarum Scripturarum<sup>2</sup>.“

Etsi catholici, uno ore necessitatem divini supernaturalisque influxus omnes fatentur, alii tamen aliis finibus vim inspirationis circumdant. Hinc prosemnatae sunt familiae inter se dissentientes, quarum altera sententiae favet D. Thomae, altera vero Lessii et Franzelini. Nos quidem certe de re theologica magni momenti, de inspirationis nimirum natura, quoad facultas feret, sciscitaturi, theologorum omni laude cumulatum principem ducemque praestantissimum D. Thomam ultro sequemur; quandoquidem persuasum habemus Angelici Doctoris sententiam in re tam abdita esse contraria multo tutiorem, imo unicam, quae in hominis maxime secretos motus, qui sunt e supernaturali Dei afflato, nos introducere queat; nec ullam aliam adeo apte ea omnia conglutinare ad artemque redigere, quae circa inspirationis naturam traditio catholica docet.

Ducimus autem universam materiam esse in partes tribuendam tres, quas disputatio de inspirationis nominibus antecedat oportet. Primo igitur doctrinam, quae ex fontibus fluit, hauriemus; deinde vim exponemus causae principalis et instrumentalis, quia S. Thomas omnia quae ex fontibus

<sup>1</sup> La Méthode historique, p. 72.

<sup>2</sup> Divina inspiratio S. Scripturarum. Prolog, p. VI et VII.

sumuntur, principio uno complectente doctrinam omnem causae principalis instrumentalisque constringit; denique quomodo inspirationi congruat ratio agentis principalis et instrumenti explicabimus.

### De inspirationis nomine

1. Ab inspiratione spiritus furoris eius: מִנְשָׁמֶת רוח אֲפֹן (II Sam. XXII, 16). — Inspirationis vox in Sanctis Libris reperitur eaque utuntur SS. Patres et Theologi. Sed quid huic voci subiicitur? Quae quidem quaestio cum commentary nostrae aliquid afferre luminis videatur, de illa aliquantum disserere, proponimus. A Sancta Scriptura autem capiamus exordium, in qua nomen inspirationis quater invenitur, ter quidem in Veteri Testamento, semel in Novo; verbum autem inspirare ter in Veteri et bis in Novo legitur.

Primum igitur de carmine in II Sam. XXII scripto, quod est idem Psalmus XVII (Hebr. XVIII) agamus. In eo Psalmista, angore acerbo excruciatu, opem a Iahve petit. A versu autem 8 usque ad 16 splendida quaedam, ut graeco-vocabulo utamur, theophania, describitur, qua in extrema legitur: מִנְשָׁמֶת רוח אֲפֹן. Sed אֲפֹן in II Sam. instruitur pronomine ה, cum tamen in Psalmo נ legatur. Hunc modum censem P. Dhorme esse proprium et exclamationem designare quandam<sup>1</sup>; attamen ille forte est magis ad verborum ambitum accommodatus: est enim de Iahve, non vero cum eos sermo in tota oratione. Iam nunc quid verba proposita significant videamus. נִשְׁמָה in II Sam. XXII, 16 (Ps. XVII) solum voce inspirationis redditur, aliis vero in locis nominibus spiraculi<sup>2</sup>, flatus<sup>3</sup>, halitus<sup>4</sup>, flantis<sup>5</sup>, spiritus<sup>6</sup>, animae<sup>7</sup>, spiramenti<sup>8</sup>; ter, etsi vocabulo omnino proprio non convertatur, in sententia tamen includitur<sup>9</sup>:

<sup>1</sup> Confer P. Dhorme O. P.: *Les Livres de Samuel*, l. c.

<sup>2</sup> Gen. II, 7; VII, 22; Prov. XX, 27; Iob XXXIII, 4.

<sup>3</sup> Is. XXX, 33; XLII, 5; LVII, 16; Iob XXVII, 3.

<sup>4</sup> I Reg. XVII, 17. Dan. X, 17; Iob XXVII, 3.

<sup>5</sup> Iob IV, 9; XXXVIII, 10.

<sup>6</sup> Is. II, 22; Ps. CL, 6.

<sup>7</sup> I Reg. XV, 29.

<sup>8</sup> Iob XXVI, 4.

<sup>9</sup> Deut. XX, 16; Ios. X, 40; XI, 11.

semel denique omittitur in Vulgata<sup>1</sup>. Significat autem נִשְׁמָה in II Sam. XXII, 16 (Ps. XVII), in libro Iob IV, 9 et apud Isaiam XXX, 33 iram, quae Iudeorum opinione, ardor sive aestus est quidam; unde irae nomina: חֹם, aestus, praecipue irae aestus (a יְחֻם, caluit); עַיר (a עֵיר fervere, aestuare), aestus irae; צָעֵק iratus est (quod a spumando vel a flagrando ducitur<sup>2</sup>); חֶרֶב, arsit, exarsit, iratus est; ira etiam foras erumpit, quam ob rem עברָה, effusio irae (a עברּ, transiit); atque ex anhelitu seu narium flatu cognoscitur, hac de causa נִזְבָּח designat nasum, iram; רַוח, spiritum, flatum, narium spiritum, iram; נִשְׁמָה, halitum, spiritum, iram. Saepe autem Scriptura de ira Dei loquitur<sup>3</sup>, imo haec est ira hominum acerbior, propterea cum igne comparatur<sup>4</sup>; sed in II Sam. XXII, 16 (Ps. XVII), quamquam ira satis solis vocabulis נִשְׁמָה<sup>5</sup>, aut רַוח<sup>6</sup>, aut אֲפָן<sup>7</sup>, aut etiam רַיחַ אֲפָן<sup>8</sup> declararetur; tamen coniunctione omnium illorum, quod in tota Scriptura evenit semel, ira Dei concinne amplificatur: „ab inspiratione spiritus furoris eius“, qua „et apparuerunt effusiones maris, et revelata sunt fundamenta orbis“. Nec vero cuique ira Dei, de qua Sancti disserunt Libri, admirationem moveat; haec enim non perturbationem animi significat, sed poenam, opinione D. Thomae, qua Deus impium mulcat<sup>9</sup>.

2. „Et inspiravit in faciem eius spiraculum vitae: וַיַּפְאֵל בְּאָפִיו נִשְׁמָת הַיּוֹם“ (Gen. II, 7). — Hoc pacto vita homini tradita more Iudeorum pulchre describitur. Nam vita secundum Iudeos narium significatur flatu, ut

<sup>1</sup> Ios. XI, 44.

<sup>2</sup> Cf. Guil. Gesenius, Lexicon Hebraicum.

<sup>3</sup> Cf. Deut. XXXII, 21, 22; II Reg. XXII, 8, 9; Iob XXXVI, 13; Thren. II, 4 etc.

<sup>4</sup> Cf. Deut. XXXII, 22; Ier. IV, 4; XV, 14; Ezech. XXII, 21.

<sup>5</sup> Cf. Iob IV, 9.

<sup>6</sup> Cf. Is. XXX, 28.

<sup>7</sup> Cf. Deut. XXXII, 22; Iob XXXVI, 13.

<sup>8</sup> Cf. Iob IV, 9.

<sup>9</sup> Sum. Theol. I. q. 3, a. 2, ad 3.

apud Isaiam II, 22: „Quiescite ergo ab homine, cuius spiritus in naribus eius est<sup>1</sup>.“ Ex quo efficitur animam appellari non solum nomine נֶפֶשׁ, quod halitum etiam aliquando designat, verum etiam vocibus רָוחַ<sup>2</sup>, נִשְׁמָה<sup>3</sup>, quae imprimis et spiritum et flatum significant. Verbum autem נֶפֶשׁ primum actionem hominis ignem accendentis indicat<sup>4</sup>, deinde vero translatione alia<sup>5</sup>. Cum igitur scriptor sacer primi hominis vitam describit, utitur verbis בְּאָפִי נִשְׁמָה הַיִם, id est, „in naribus eius halitum vitae“, quod quidem a Deo est emanatum וַיֹּחַד. Ex quo ortus est modus vitam designandi, qui apud Iob XXVII, 13 reperitur: „spiritus seu Dei halitus in naso meo, וָרוּחַ אֱלֹהֶךָ בְּאָפִי“.

In Sap. XV, 11 exstat etiam verbum inspirare: „quoniam ignoravit qui se finxit et qui inspiravit illi animam“; quod ad Gen. II, 7 refertur.

3. „Inspiratio Omnipotentis dat intelligentiam“ (Iob XXXII, 8). — Versus autem totus est sic:

„אָבוּ רָוחַדְהֵיכָא בְּאָנֹשׁ“ Sed ut video, spiritus est in hominibus, וַיִּשְׁמַת שְׂדֵי תְּבִינָם et inspiratio Omnipotentis dat intelligentiam.“

Primum stichon mendosum accepimus; quid enim vox קְיָם sonat? Bickell putat non קְיָם sed אֶל legendum. Budde autem קְיָם cum חֲכַתָּה superioris versus dicit cohaerere, et intelligi arbitratur, ac si spiritus Dei esset in homine sapientia. Duhm vero sic emendat: אֶנְשָׁים vel potius אֶנְשָׁיִם, ut in Ps. CXVIII (Hebr. CXIX), v. 130, quod nihil aliud esset nisi Dei spiritum homines illuminare<sup>6</sup>. Sententiae tamen Bickell assentiendum videtur, nam parallelismus verbi

<sup>1</sup> Cf. etiam Gen. VII, 2 hebraice; Iob XXVII, 3 hebraice.

<sup>2</sup> Cf. Iob XXVII, 3; Eccl. III, 19; XII, 7.

<sup>3</sup> Cf. Iob XXVII, 3. — Vivens, Cf. Deut. XX, 16; Ios. XI, 11, 14; I Reg. XV, 29.

<sup>4</sup> Cf. Is. LIV, 16; Malach. I, 13.

<sup>5</sup> Cf. Ezech. XXXVII, 9.

<sup>6</sup> Cf. Bernh. Duhm: Das Buch Job.

אֵל sive אלהָן cum שְׁבִי est in libro Iob frequens<sup>1</sup>, imo in XXIII, 4 legitur idem parallelismus, רוח אל et נְשָׁמַת שְׁבִי. Symmachus quoque, cum graece interpretatur, a Bickell non dissentit. Sic igitur huius distichi parallelismus est syntheticus, in quo alterum membrum primum compleat<sup>2</sup>, in utroque enim sticho ostenditur Dei spiritum hominibus dare sapientiam; sed in uno id sine terminis traditur, in altero autem circumscribitur certis finibus. Praeterea spiritus intelligentiae de quo Eliu disserit, tamquam singulare donum est putandus.

4. „Sapientia filiis suis vitam inspirat: Ἡ σοφία νιόνες ἐστή ἀνύψοσεν (Eccli. IV, 12). — Hebraice vero: חכמתה לפְּרָדָה בְּנֵיהֶם<sup>3</sup>. Cum hebraice tum graece sapientia filios suos instituit, docet atque sana imbuit disciplina; idemque sed quodam poetico modo in Vulgata legitur; sapientia enim rebus hominum, poetarum licentia ornata, discipulis suis semen sapientis honestaeque vitae largitur.

5. Verba *inspiratio* et *inspirare* in Novo Testamento. — Voce *inspirationis*, quae in Novo Testamento est ἀπαξ λεγόμενον, S. Paulus, cum verba Athenis in medio Areopagi fecit, usus est ad divinam ostendendam maiestatem: „ἀυτὸς διδοὺς πᾶσι ζωὴν καὶ πνοὴν καὶ τὰ πάντα: Cum ipse det omnibus vitam et inspirationem et omnia“ (Act. XVII, 25). Verbum autem πνοή, quod hoc loco inspiratione exprimitur, non reperitur in Novo Testamento nisi in Act. II, 2, ac ventum significat, sed in Veteri significat vitam (Cf. I Reg. XV, 29; Ps. CL, 6), quod etiam in loco nunc disputato accidere videtur. Nam ζωὴ καὶ πνοὴ more Hebraeorum vitam ostendunt: נְשָׁמַת הַיִם (Gen. II, 7), רוח הַיִם (Gen. VII, 15), נְשָׁמַת רוח הַיִם (Gen. VII, 22); in

<sup>1</sup> אֵל parall. cum שְׁבִי, Iob XV, 25; XXII, 17; XXIII, 16; XXVII, 2, 11, 13; XXXIII, 4; XXXIV, 10, 12; XXXV, 13. — אלהָן parall. cum שְׁבִי, V, 15; XXXI, 2. — שְׁבִי parall. cum נְשָׁמַת, XXXIII, 3. — שְׁבִי parall. cum אלהָן, XXII, 26; XXVII, 10.

<sup>2</sup> Cf. V. Zapletal O. P.: De Poesie Hebraeorum. Friburgi, Helv., 1909; p. 26.

<sup>3</sup> Norbertus Peters: Liber Iesu filii Sirach sive Ecclesiasticus hebraice. Friburgi, Brisg., 1905; l. c.

LXX πνοὴ ζωῆς (Gen. II, 7; VII, 22); cum vero in Actibus Apostolorum tot sint ad Hebraeorum consuetudinem dicta, quorum E. Jacquier, praeter ea quae ex Veteri Testamento afferuntur, dicit 140 exstare<sup>1</sup>, iure existimari potest ζωή καὶ πνοὴ secundum consuetudinem loquendi Hebraeorum vitam solam exprimere. Cui quoque sententiae A. Camerlynck assentitur: „ξωὴν καὶ πνοὴν: hendiadis pro πνοὴν ζωῆς, spiritum vitalem, i. e. simpliciter vitam<sup>2</sup>.“

Verbum autem inspirare bis in Novo Testamento reperitur, in locis, qui quaestionem de inspiratione Scripturarum Divinarum plurimum illustrant: „Omnis scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum...“ (II Tim. III, 16). „Spiritu Sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines“ (II Pet. II, 21). Sed de his copiose alias.

6. Conclusio ex inquisitione nominis inspirationis in S. Scriptura. — Cum verbum *inspiratio* tum *inspirare* in Vulgata actiones Dei, quae a Theologis ad extra dicuntur designant, illas scilicet quibus poena sceleratus a Deo mulctatur (II Sam. XXII, 16; Ps. XVII), et Deus homini tradit sive corporum vitam (Gen. II, 7; Sap. XV, 11; Act. XVII, 25), sive morum (Eccl. IV, 12), ac prudentibus sapientiam impertit (Iob XXXVII, 8), inspirat denique Sanctas Scripturas (II Tim. III, 16; II Pet. II, 21).

7. Inspirationis nomen apud SS. Patres. — Pulcherrimis ac paene innumerabilibus nominibus SS. Patres et Scriptores ecclesiastici actionem, qua Deus in scriptores influit sacros, nuncupant. Sed ne longi simus, pauca tantum placet specimina proferre. Psalmistae ex divini Spiritus operatione (ἐνεργείᾳ) conscripserunt<sup>3</sup>; gratia Spiritus Sancti movet (χινοῦσα) animas Evangelistarum; divino Spiritu afflati (ἐνγχούμενοι) prophetae locuti sunt<sup>4</sup>; omnis propheticus sermo ex divini Spiritus instinctu est profectus<sup>5</sup>;

<sup>1</sup> E. Jacquier: Hist. des Liv. du N. Test. Paris, 1912; Tom. III, p. 18.

<sup>2</sup> A. Camerlynck: Comm. in Act. Apostolorum, Edit. 6a. Brugis, 1910; l. c.

<sup>3</sup> Theodoretus Cyrensis, M. G. 80, 861. — Loci SS. Patrum sunt secundum Patrologiam a Migne edita allati; utemurque littera M (Migne) et G cum sermo erit de aliquo Patre graeco; si vero de Latino, L littera; primus numerus volumen indicat, alter vero columnam.

<sup>4</sup> S. Ioan. Chrysost., M. G. 51, 53; 53, 175.

<sup>5</sup> S. Hilarius Pictav., M. L. 9, 792.

Spiritus Sanctus *impulit* (*ἐφθέγγετο ἐκ Πνεύματος ἀγίου*) veros prophetas ad nuntiandum<sup>1</sup>; verus propheta *illuminatus* a Spiritu (*φωτιζόμενον ἀπὸ τοῦ Πνεύματος*) ordinate lequitur<sup>2</sup>; Spiritus Sanctus prophetis *suggerit* (*ὑπηχάν*) omnem prophetiam sermonemque<sup>3</sup>; salutares autem fontes appellamus sanctos prophetas, evangelistas et apostolos: hi enim salutari coelitusque hausta doctrina mundum hunc irrigant, Spiritu Sancto *imbuti* (*χορηγοῦντος αὐτοῖς τοῦ ἀγίου Πνεύματος*)<sup>4</sup>; evangelistae divino Spiritu ubertatem ditorum rerumque omnium *ministrante* sine ullo molimine complebunt<sup>5</sup>; Spiritus Sanctus *scripsit* qui scribenda *dictavit*<sup>6</sup>; omnis Scriptura est a Spiritu Sancto *conscripta* (*συγγραφεῖσα παρὰ τοῦ Πνεύματος*)<sup>7</sup>. Eadem nomina, sive illis paria, a posterioribus Ecclesiae scriptoribus usurpantur; sic exempli gratia Beda de S. Luca dicit: „Spiritū Sancto *instigante* sibi quoque visum significat<sup>8</sup>; de S. Ioanne, „instructus revelatione coelesti ac Spiritus Sancti gratia *inebriatus*<sup>9</sup>; de prophetis, „quae Spiritu *illustrati* didicerant ea sola dicebant<sup>10</sup>. Rabanus Maurus quoque dicit: „Ipse (Spiritus Sanctus) *scripsit*, qui per prophetas suos scribenda dictavit<sup>11</sup>. Atque Hugo a S. Victore, Scriptura divina „per Spiritum Sanctum *aspirata est*<sup>12</sup>; scriptores sacri „Spiritū Dei locuti sunt<sup>13</sup>. In Concilio Tridentino quoque legitur: „in libris scriptis... Spiritū Sancto *dictante*<sup>14</sup>. Nostris quoque temporibus hi dicendi modi sunt adhuc in usu quotidiano collectati; sic, in Encyclica „Providentissimus Deus“ dicitur „(Libri sacri) Spiritū Sancto *dictante* conscripti sunt<sup>15</sup>; „libros divino aequē esse *afflatu*, Deumque ipsum per sacros auctores elocutum<sup>16</sup>. „Conscripta divino Spiritū *afflante* volumina<sup>17</sup>. — Verbum autem *inspiratio* non est alienum a SS. Patrum scriptis. Inspirationis enim vox, graece *ἐπιπνοια*, etsi raro adhibetur primis saeculis, aliquando ta-

<sup>1</sup> S. Epiphanius, M. G. 41, 860. — <sup>2</sup> S. Ioan. Damascen., M. G. 95, 664.

— <sup>3</sup> Gregorius Thaumaturgus, M. G. 10, 1093. — <sup>4</sup> S. Cyrill. Alexandr., M. G. 76, 1338. — <sup>5</sup> S. Ambrosius, M. L. 15, 1614. — <sup>6</sup> S. Gregorius M., M. L. 75, 517. — <sup>7</sup> S. Basilus M., M. G. 93, 73. — <sup>8</sup> M. L. 92, 308. — <sup>9</sup> M. L. 92, 637. — <sup>10</sup> M. L. 93, 73. — <sup>11</sup> M. L. 107, 367. — <sup>12</sup> M. L. 175, 10. — <sup>13</sup> Sess. IV, 8 aprilis 1546.

<sup>14</sup> Cf. A. Camerlynck: Comp. Introduc. general. in S. Script. Pars prior. Brugis, 1911; p. 23 et 24. — nr. 31 et 33.

<sup>15</sup> Epistola Leonis XIII ad Ministr. Gen. O. Min. (25 nov. 1898). Ibid. p. 49.

men invenitur<sup>1</sup>; sed inde a saeculo III Patres, scholae praesertim Alexandrinae θεόπνευστος Pauli saepe afferunt<sup>2</sup>, quod latine nomine „divinitus inspirata“ fuit expressum, deinceps autem vocabula inspirator, inspiratus, inspiratio. Patribus Latinis occurrabant. Sic iudicio S. Gregorii M. Deus est inspirator: „Ipse scripsit, qui in illius opere *inspirator extitit*“<sup>3</sup>. S. Augustinus autem scriptorem sacrum dicit esse inspiratum, de Ioanne enim „et quidem *inspiratus* a Deo, ait, sed tamen homo. Quia *inspiratus* dixit aliquid: si non *inspiratus* esset dixisset nihil“<sup>4</sup>. Hieronymus vero Scripturam esse censet inspiratam: „Non adeo me hebetis fuisse cordis... ut aliquid de dominicis verbis aut corrigendum putaverit aut non divinitus *inspiratum*“<sup>5</sup>. Neque ipsamet vox inspirationis est Patribus ignota, ita S. Augustinus contra illos qui veritatis narratoribus leges imponere superbe volebant, „dignetur ergo, ait, consilio Marci evangelistae superari consilium suum, qui eo loco id ponendum iudicavit, quo loco *divina inspiratione* suggestum est“<sup>6</sup>.

8. Quid sonet vox *inspirationis*? — Multalia, praeter ea quae iam vidimus, voci *inspirationis* subiciuntur. Imprimis divinum quendam poetarum afflatum ipsa ostendit<sup>7</sup>; universe autem „*inspiratio* significat quamdam motionem ab exteriori“<sup>8</sup>. Sed haec motio, ut in nomine ipso continetur, crassitudine vacat, ac spiritui ad similitudinem proprius accedit. Quia vero Deus mirabili quodam modo et nullo interveniente in naturam intimam hominis pervenit et mentem arbitrio suo movet, idcirco iure *inspiratio* motionem praecipue Dei hominem divinitus impellentem, notat.

<sup>1</sup> Cf. Vigouroux: Manuel Biblique. Paris, 1899. Tom. I, p. 53. Specimina autem quae solent afferri sunt: Ioseph. contr. Apionem, Lib. I, 7. Cohort. ad Graecos, nr. 12. Cf. Chauvin: L'inspiration des div. Ecritures, p. 2, quem Calmes affert in opere „Qu'est-ce l'Écrit. Sainte“, p. 7.

<sup>2</sup> Cf. Clemens Alexandr., M. G. 8, 200. Origenes, M. G. 12, 1081. S. Basilius M., M. G. 29, 209. S. Gregor. Nyssen. 45, 741. S. Cyrill. Alexandr., M. G. 70, 656. S. Ambrosius, M. L. 16, 837. S. Ioann. Chrysost., M. G. 55, 57 etc.

<sup>3</sup> M. L. 75, 517. — <sup>4</sup> M. L. 35, 1379. — <sup>5</sup> M. L. 22, 431. — <sup>6</sup> M. L. 34, 1187.

<sup>7</sup> Virgilius de Sybilla sic ait, Aeneidos, Lib. VI, versibus 11 et 12: „magnam cui mentem animumque Delius inspirat vates, operitque futura“.

<sup>8</sup> Sum. Theol. I, II, q. 68, a. 1.

Hac ratione loquuntur de inspiratione Concilia, Theologi et Canonistae. Nostra autem aetate sic consuetudo designandi voce inspirationis Scripturarum inspirationem viguit, ut per se solum nomen inspirationis menti offerat impulsus divinum, quo Libri Sancti conscripti sunt.

9. Notio, quae ex inspirationis nomine defluit. — Iam ex dictis colligi licet Sacrarum Scripturarum inspirationem esse Dei motionem longe excedentem naturam, quaeque in hominem recipitur atque eo spectat, ut Divini Libri scribantur.

## PARS PRIMA

### De Fontibus

1. Varii fontes. — Loci ex quibus argumentaducuntur ad naturam inspirationis declarandam sunt: primum bipartita causa efficiens, Deus scilicet qui scriptorem afflat sacram atque ipse scriptor; dein effectus actionis Dei et hominis, sacram nempe volumen.

### Primus Fons Deus

2. Loci quibus primus exstat fons. — Inspiratione sive actionem Dei significat, ac tunc nomen inspirationis activae obtinet; sive ab homine recipitur, et sic passiva dicitur. Si vero acies ingenii hominum tam acris esset, ut actionem Dei plane cerneret, inspiratio activa nobis cognita omnino esset. At in terris divinam penitus dispicere actionem, quae re ipsa idem est atque divina essentia, mens hominis non valet; sed huic tamen in Patria per beatificam visionem cum essentia Dei tum eius actio patet; ibi Scripturarum inspiratio, pulsa caligine, erit sane palam. Quo vero homo, duce ratione, non pervenit, illuc accedit divina revelatione illustratus, quae nonnulla de inspirationis natura menti declarat humanae. Quam ob rem ex revelationis fontibus doctrinam licet inspirationis haurire. Primo quidem ex Iudeorum commentariis, quippe qui Sacrorum Librorum iam inde ab initio sunt possesores ac divinae revelationis testes putantur fideles. Deinde ex Sacra Scriptura, quatenus est Dei verbum. Postremo ex divina Traditione, quae in Patrum scriptis Ecclesiaeque monumentis exstat.

### I. De inspiratione secundum Iudeos

3. Prologus. — Non est in praesentia opus inspirationis contexere historiam: sufficit doctrinam ex historia fluentem undique colligere. Iudeorum quidem sententia ex Veteri et Novo Testamento, ex libris talmudicis atque ex Philonis Flaviique Iosephi libris petenda est<sup>1</sup>. Summatim igitur proponamus collecta.

4. Scriptor humanus. — In Mischna, libro 4<sup>o</sup>, tractatu 3<sup>o</sup>. Baba bathra argumentum talmudicum non mediocre reperitur, in quo nonnulli enumerantur scriptores: Moyses scilicet, Iosue, Samuel, David, Ieremias, Ezechias, viri magnae synagogae Esdras et Nehemias<sup>2</sup>. Philo etiam censet Sacrorum scriptores Librorum fuisse prophetas<sup>3</sup>. Ac Iosepho ex 22 libris esse 5 a Moyse exarati et 13 ab aliis prophetis videntur, 4 autem reliquos nemini assignat<sup>4</sup>.

5. Actio divina. — A Spiritu Sancto, Talmudistarum opinione, profectae sunt Litterae Sacrae<sup>5</sup>. Philo quoque dicit oracula, per os prophetarum, Patrem omnium edidisse; atque Ieremiam valde inspiratum, ex Dei persona loquentem, oraculum dixisse. Historiam vero scribendi facultatem tribuit Iosephus solum prophetis: „qui remotissima et antiquissima ex divina inspiratione didicerunt“. Quod si ex eis cognitio quaeratur subtilior, inter se reperiuntur dissentientes; ita, inspirationis gradus talmudistae secundum praestantiam in תורת חבירים (Thoram), נביאים (Nebiim) et כחובים (Che-tubim) disperciunt; Philo autem quatuor gradus extasium prophetiaeque undecim Maimonides (1135—1204) instituit<sup>6</sup>. Alia de Iudeorum consilio in IV libro Esdrae, cap. XIV, legere licet.

6. Liber Sacer. — Multa sunt et clara argumenta, quae Iudeos suscepisse ut a coelo libros Veteris Testamenti emanatos ostendunt. Etenim ad latus arcae iacuerunt Divini Libri<sup>7</sup>; Israelis rex a Sacerdote legis exemplar acci-

<sup>1</sup> Caetera (historiae) cf. apud Dausch: Die Schriftinspiration, p. 19—27; et apud P. Pesch: De inspiratione S. Script., nr. 10—33.

<sup>2</sup> Cf. Cornely: Introductio. Parisiis, 1894. Vol. I, p. 47.

<sup>3</sup> Hoc et alia Philonis inveniri possunt apud P. Pesch, nr. 12—18.

<sup>4</sup> Verba Iosephi in omnibus fere studentium libris sunt transcripta.

<sup>5</sup> De talmudistarum doctrina cf. P. Pesch, nr. 10.

<sup>6</sup> Cf. Ibid. nr. 27.

<sup>7</sup> Cf. Deut. XXXI, 26 et I Sam. X, 25.

pere idque studiose evolvere debuit<sup>1</sup>; Iudaeique libro Legis invento magno opere sunt commoti<sup>2</sup>, pugnaturi vero prius lectione Sacrorum Librorum concitabantur, quam in aciem irruerent<sup>3</sup>, cum denique aegritudinibus cruciabantur, se ipsos per Sanctos consolabantur Libros<sup>4</sup>. Milites autem Antiochi acerbius in Iudeos invehentes „libros legis combusserunt igni, scindentes eos, et apud quemcumque inveniebantur libri testamenti Domini... secundum edictum regis trucidabant eum“<sup>5</sup>. Omnibus vero tam nota erat auctoritas Sacra- rum Litterarum, ut non Iudei modo, sed Iesus ipse argumen- ta tamquam e fonte sancto et divino saepe ex Scriptura sumpserunt<sup>6</sup>; item in Evangelii praedicatione, ut docerent Iudeos ac moverent, ad Scripturarum locos confugiunt Apostoli<sup>7</sup>. Talmudistae autem contactu sacri codicis tam- quam rei divinae manus inquinari existimarunt; sicut et omnis doctrinae initium et normam a Sacris Litteris repe- tendam esse volunt variisque illas sensibus abundare. Neque Philonem illa sensuum copia fugit, eumque Scripturam ve- nerari apparet ex nominibus, quibus Sanctos Libros appellat. Card. Franzelin „Philo in usu continuo, ait, et amplissimo sacrorum librorum qui est in eius operibus, indiscriminatim sive ad omnes sive ad singulos appellat ut ad *Scripturas sacras, libros sacros, sacrum sermonem, sacratissimam litteram, propheticum sermonem, prophética dicta, oraculum, dicta sanctius edita, eloquium Dei ἱερας γραφας, ἱερας βιβλους, ἱερον λογον, ἱερωτατον γραμμα, προφητικον λογον, προφητικα ρηματα, χρησ- μον, το χρησθεν, τα ἱεροφαντησθεντα, λογιον του θεου*“<sup>8</sup>. De Iosepho quoque dicit: „Eodem modo Iosephus appellat *sacros libros, illos sacrarum Scripturarum libros, sacras litteras ἱερας βιβλους, τας των ἱερων γραφων βιβλους, ἱερα γραμματα*“<sup>9</sup>. Sed huius egregia et nemini inaudita illa est vox: „Cum enim tot saecula iam praeterierint, nemo ausus est quidquam eis addere neque demere neque mutare, sed omnibus Iudeis inde a prima pueritia statim innatum est credere ea Dei praecepta esse, et iis adhaerere et si opus est, pro iis libenter mori.“

7. Conclusio ex Iudeorum doctrinae in- vestigatione. — Litteras igitur sanctas auctore Deo ab

<sup>1</sup> Deut. XVII, 18. — <sup>2</sup> II Reg. XXII, 8, seq. — <sup>3</sup> I Mach. III, 48 et II Mach. VIII, 23. — <sup>4</sup> I Mach. XII, 9. — <sup>5</sup> I Mach. I, 59, 60. — <sup>6</sup> Cf. Mt. XXII, 41; Ioan. V, 39; VI, 34. — <sup>7</sup> Cf. Act. II, 16; III, 18. Saepe apud Mt. et in Epist. ad Hebraeos. — <sup>8</sup> Tract. de Div. Tradit. et Scriptura, p. 327.

homine fuisse conscriptas eoque esse divinas, Iudei certe docent; itaque vel firmissimum inspirationis naturae hoc pacto iecerunt fundamentum.

## II. De inspirationis natura ex S. Scriptura

8. Quid hoc in loco Scriptura comprehendat. — Res, quae in Sacris Libris continentur, cum sint Dei instinctu ab hominibus inspiratis, scriptae, participes sunt divinae auctoritatis. Sic igitur hoc loco res Scripturarum accepimus. Sed, quia orationes ab Apostolis Dei afflato habitae, parem cum Scripturis habent dignitatem, ad hanc argumentorum sedem una cum verbis Christi referendas censemus. Nunc vero omnia paene sunt a Novodumtaxat Testamento mutuanda, a Veteri autem iure est initium repetendum<sup>1</sup>. Ea vero quae ex quovis loco Scripturarum sumuntur, etsi de certa parte tantum dicantur, ut de universa Scriptura dicta, sunt hoc in loco intelligenda, eo quod nunc vim et naturam inspirationis tractamus.

9. Deus est Sacrae Scripturae auctor. — Deum enim loquentem verbis Scripturarum Sancti Libri inducunt<sup>2</sup>, imo ipsa voce Scripturae Deus nuncupatur<sup>3</sup>. Deinde totum Novum Testamentum est verborum ac sententiarum Veteris plenum, sic Dauschi opinione, „Scriptura dixit“, „scriptum est“ quinquagies et centies fere in Novo Testamento reperiuntur<sup>4</sup>; et semper profecto tantam habent auctoritatem, quantam argumentum ex divino fonte ductum. Item Dominus noster et Apostoli res Librorum Sacrorum testificantur esse implendas<sup>5</sup>, et omnia quidem nec res minutias praetermittendas<sup>6</sup>. Quae omnia satis superque ostendunt Deum re vera esse Divinae Scripturae auctorem.

<sup>1</sup> Id Dausch sic declarat: „Einen bestimmt formulierten Begriff von Schriftinspiration können wir aus dem Alten Testamente nicht herauslesen; wohl aber finden sich daselbst, wie sub Nr. 12 angedeutet, feste Grundelemente, welche zur Bildung eines Begriffes formuliert werden können.“ Die Schriftinspiration, p. 16.

<sup>2</sup> Cf. Hebr. I, 5, seq.; IV, 4, 7; X, 15.

<sup>3</sup> Gal. III, 8.

<sup>4</sup> Eodem loc. p. 28. Non est opus hac de re plura afferre, cum tot sint apud omnes scriptores; praecipue Cf. Ubaldi, Introduct. in S. Scripturam, vol. II, p. 56 et seq. Romae, 1886.

<sup>5</sup> Cf. Mt. XXIV, 15; XXVI, 24, 54; Luc. IV, 21; XVIII, 31; XXIV, 25, 26; Ioan. XIII, 18.

<sup>6</sup> Cf. Mt. V, 18; XXVI, 54, 56; Lc. XVI, 17; XXIV, 44; Ioan. X, 35; Act. I, 16; III, 18; XVII, 2, 3.

10. Scriptores inspirati sunt Dei instrumenta. — Etenim non suo arbitratu homines, sed mandato Dei Libros Sanctos scripserunt<sup>1</sup>. Quod vero illi sint tantum ministri, quibus utitur Deus, ad mandandam scriptis voluntatem suam, ex modo quo sententiae Scripturarum afferuntur, constat: „dictum est a Domino per Prophetam<sup>2</sup>.“ Spiritus Sanctus dicit et praedicit per os David<sup>3</sup>. Deus prae-nuntiat ac loquitur in Scripturis per os Sanctorum seu Prophetarum<sup>4</sup>.

11. De inspirationis terminis. — Iam in S. Scriptura videre possumus illius, quam extensionem inspirationis vocant, quamdam adumbrationem. Non enim modo universi Canonici Libri et quivis locus cuiusque Libri, omni discrimine remoto, sunt tamquam domicilia divinorum argumentorum; verum etiam talia argumenta non magis ex sententiis Scripturae ducuntur, quam ex singulis verbis<sup>5</sup>, et ex iis quidem, quae ad grammatices, ut est verborum numerus, elementa pertinent<sup>6</sup>.

12. Locus S. Pauli II Tim. III, 15, 16. — Nulla auctoritas Divinis in Litteris est praestantior illa S. Pauli clarissima, cum admonet Timotheum: „καὶ ὅτι ἀπὸ βρέφους ἡρὰ γράμματα οἶδας, τὰ δυνάμενά σε σοφίσαι εἰς σωτηρίαν διὰ πίστεως τῆς ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ. πᾶσα γραφὴ θεόπνευστος καὶ ὡφέλιμος πρὸς διδασκαλίαν... et quia ab infantia sacras litteras nosti, quae te possunt instruere ad salutem, per fidem, quae est in Christo Iesu. Omnis scriptura *divinitus inspirata* utilis est ad docendum“ etc. Latine autem paulo ab hoc differt, quod graece legitur. Et sane vocabulum inspirata, ut exstat in Vulgata, est appellatio nominis Scripturae, quae affirmatur esse „utilis ad docendum“; at graece et θεόπνευστος et ὡφέλιμος, ut convictio καὶ ostendit, nominis γραφή sunt appellationes. Quam ob rem verbum ἔστι, quod suggerere oportet post γραφή est collocandum<sup>7</sup>. Probe

<sup>1</sup> Cf. Ex. XVII, 14; Is. VIII, 1; Ier. XXXVI, 1, seq.; Ez. XXIV, 2; Dan. XII, 4; Hab. II, 2; Apoc. I, 11, 19; XIX, 9.

<sup>2</sup> Cf. Mt. II, 15.

<sup>3</sup> Act. IV, 25; I, 16; Hebr. IV, 7.

<sup>4</sup> Act. III, 18; Rom. I, 2; Lc. I, 70; Act. III, 21.

<sup>5</sup> Mt. XXII, 32; Act. XIII, 34; I Cor. IX, 9; I Tim. V, 18; Hebr. VII, 2, 3; VIII, 8, 13; XII, 26, 27.

<sup>6</sup> Gal. III, 16.

<sup>7</sup> Cf. P. Th. Calmes: Qu'est-ce que l'Écrit. Sainte, p. 6 et seq. Ubi optime iste S. Pauli locus explicatur.

ergo legeretur: „omnis scriptura est divinitus inspirata et utilis ad docendum.“ Quod nemo fere inficiatur<sup>1</sup>; sed in huius loci interpretatione est de minimis rebus quaedam controversia. Videamus igitur primum quibus finibus  $\pi\tilde{\alpha}\sigma\alpha$   $\gamma\rho\alpha\varphi\eta$  contineatur. Deinde quid  $\theta\epsilon\circ\pi\nu\epsilon\sigma\tau\circ\sigma$  significet.

Et  $\pi\tilde{\alpha}\sigma\alpha$   $\gamma\rho\alpha\varphi\eta$  quidem aliis placet universe de tota Scriptura, quasi de corpore quodam, seu collective, ut dicunt, interpretari; aliis autem de singulis partibus quamquam exiguis, quod distributive vocant. Qui primam tenent sententiam, his rationibus eam confirmant: a)  $\pi\tilde{\alpha}\sigma\alpha$   $\gamma\rho\alpha\varphi\eta$  et  $\iota\circ\pi\circ\alpha$   $\gamma\rho\acute{a}m\mu\alpha\tau\alpha$  versus 15 re unum sonant; sed  $\iota\circ\pi\circ\alpha$   $\gamma\rho\acute{a}m\mu\alpha\tau\alpha$ , ut appareat ex verborum significatione contextuque orationis, totam Scripturam generatim complectitur; ergo  $\pi\tilde{\alpha}\sigma\alpha$   $\gamma\rho\alpha\varphi\eta$  quoque. b) Item „Scriptura est utilis ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia“; atqui muneribus huiusmodi membra Scripturarum singula fungi non possunt; agitur igitur non de partibus singillatim, sed de toto Scripturae corpore<sup>2</sup>. Alii autem in alteram sententiam has rationes afferunt: a) Vocabulum  $\pi\tilde{\alpha}\sigma\alpha$  si  $\dot{\eta}$  caret, exprimit cuiusque totius partes nominatim. b) Atque  $\gamma\rho\alpha\varphi\eta$  non Libri Sacri generatim solum, sed unumquodque etiam appellatur membrorum, quod plures loci declarant: Mc. X, 10; XV, 28; Ioan. XIII, 18; XVII, 12; XIX, 36, 37; Act. I, 16; Rom. XI, 2; Iacob II, 23<sup>3</sup>. Quae tamen P. Calmes conatur refellere eo quod a) voce  $\pi\tilde{\alpha}\varsigma$  summi auctores graeci et Litterarum Sacrarum scriptores

<sup>1</sup> Grotius, e. g. qui in verbis „scriptura divinitus inspirata“ tautologiam tantum videt. Grotius, Votum pro pace Ecclesiae. Cf. Calmes eodem loc.

<sup>2</sup> Cf. Calmes eod. loc.

<sup>3</sup> Sic sentiunt: Franciscus Schmid: De insp. Bibl. vi et ratione, p. 22, seq. — Dausch, loco commemorato, p. 30. — Crets: De div. Bibl. inspiratione, p. 78. — Chauvin, eodem loco, p. 118. — P. Brucker S. J.: Questioni d'oggi sulla Sta. Scrittura, p. 8; ubi sententiam E. Reuss affert. — Lamy: Introd. in S. Script., Mechliniae, 1901, p. 22. — Ubaldo Ubaldi, loc. com., p. 67. — Card. Billot affert locum S. Pauli contra illos qui „plures seu libros seu librorum textus, dicunt esse canonicos per approbationem Ecclesiae“. De Insp. S. Script., p. 19 et 20. — H. Merkelbach: L'inspirat. des Div. Ecritures; ubi ex sententio S. Pauli eruit: „Il est donc desormais *certain* que les moindres parties de la Bible, de simples détails comme ceux qui concernent le chien de Tobie, furent inspirés“, p. 14. — P. Pesch dicit: „ $\pi\tilde{\alpha}\sigma\alpha$   $\gamma\rho\alpha\varphi\eta$  potest absolute sumi collective... Magis obvius est sensus distributivus“, loc. com. nr. 385.

utuntur, sicut et  $\delta\lambdaος$ , ad significandum totum non divisum. β) Et  $\gamma\rhoαφή$  etiamsi in omnibus locis, praeter Ioan. XIX, 37 et II Petr. I, 20 cum  $\eta$  iungatur, tamen  $\gamma\rhoαφή$  sine  $\eta$  singulas quoque sententias designat;  $\eta$  igitur adsit vel non, nullum est argumentum. Sed probe Ubaldo Ubaldi: „Verum in huiusmodi, ait, grammatica subtilitate non est nimis insistendum ut Rich. Simonius observat.“ Franzelin item: „Parvi etiam refert, ait, ad rem praesentem utrum subiectum“ omnis Scriptura „sumatur collective pro tota Scriptura, an distributive... Priori enim modo immediate tota collectio et proinde omnia in collectione comprehensa dicerentur inspirata, altero modo immediate affirmatur inspiratio (terminative nempe *inspiratum esse*) de omnibus et singulis quae habent nomen excellentiae Scriptura<sup>1</sup>. Si velimus autem scire quae sit vera S. Pauli sententia, dicendum videtur illum sic de omni Scriptura cogitasse, ut de quodam corpore, utitur enim  $\pi\alpha\sigma\alpha \gamma\rhoαφή$  eadem significatione ac  $\iota\epsilon\rho\alpha \gamma\rhoάμματα$  v. 15, cui certe Scriptura subiicitur universa; sed neque membra singillatim reiicit, cum tot Scripturae officia enumaret, quae ne intelligi quidem possunt, nisi de partibus dicantur.

De verbo autem  $\vartheta\varepsilon\circ\pi\nu\epsilon\nu\sigma\tau\circ\varsigma$  haec habemus dicere.  
 1. De  $\vartheta\varepsilon\circ\pi\nu\epsilon\nu\sigma\tau\circ\varsigma$  quidem notione. Quae nec ex LXX, in quo nusquam reperitur, nec ex Novo Testamento, ubi est  $\ddot{\alpha}\pi\alpha\xi \lambda\varepsilon\gamma\mu\epsilon\nu\eta\eta$ , duci potest; sed est a verbi origine usuque aliorum scriptorum petenda.  $\vartheta\varepsilon\circ\pi\nu\epsilon\nu\sigma\tau\circ\varsigma$  igitur ex duorum coniunctione verborum est factum,  $\vartheta\varepsilon\circ\varsigma$ , Deus ac  $\pi\nu\epsilon\omega$  flo, respiro, ex quo efficitur inflatum instinctumque divinum significare. Idque auctores graeci confirmant, quamquam ii raro et sero  $\vartheta\varepsilon\circ\pi\nu\epsilon\nu\sigma\tau\circ\varsigma$  utantur. Quorum exempla quatuor Dausch profert<sup>2</sup>, sed nunc eorum duo tantum cum P. Pesch et Chauvin tradimus. „*Ἡρόφιλος, τοὺς δνείρους τοὺς θεοπνεύστους κατ' ἀνάγκην γίνεσθαι*“. Herophilus de somniorum causa interrogatus, somnia, divinitus afflata, respondet, secundum necessitatem esse orta. „*Τῆς δὲ θεοπνεύστου σοφίης λόγος ἐστὶν ἀριστος*“, id est, verbum sapientiae, quae afflata funditur divino, est optimum<sup>3</sup>. — 2. Qua vero ratione adductus

<sup>1</sup> De divina Tradit. et Script., p. 342.

<sup>2</sup> Loc. com. Exempla ab eo allata sunt: Pseudo Phocyl. 121; Plutarch. De placit. phil. 5, 2; Porphyr. De antr., p. 116; Nonnus Paraphr. ev. Ioh. 1, 27.

<sup>3</sup> Sunt loci Plutarchi ac Phokylidis (Cf. Nota 3). P. Pesch loc. com. nr. 4; Chauvin loc. com. p. 3.

verbo *θεόπνευστος* S. Paulus est usus? Videtur prophetas, qui in Veteri Testamento describuntur, aliquantum valuisse in S. Pauli sententiam, verbique electionem. Ad hoc efficiendum Franzelin et Crets illud afferunt Os. IX, 7 *אִישׁ הָרוּחַ*, ἄνθρωπος δ πνευματοφόρος<sup>1</sup>, propheta videlicet est vir spiritus, seu habens spiritum propheticum. Possunt autem hic etiam haec afferri: וְקֹה עַלְיוֹ רוח אלְהִים (Num. XXIV, 2; I Sam. XIX, 20, 23), וְצַלְחָה עַלְיךָ רוח יְהוָה (I Sam. X. 6, 10)<sup>2</sup> spiritus Dei irruit in prophetas, et est in eis ut fundant prophetiam. Haec coniectura verisimilis fit, si perspiciatur in Sacris Litteris uspiam tradi actionem Dei inspirationis instar<sup>3</sup>; nominique prophetae ipse S. Paulus uti ad hagiographos nominandos (Rom I, 2); atque SS. Patres promiscue de prophetis ac sacris scriptoribus loqui. — 3. An verbo *θεόπνευστος* notio subiiciatur Scripturae, ut id quod est divino instinctu factum, vel potius actionis Dei singularis, qua scriptores impelluntur sacri; seu, ut dicunt, num sit passive vel active interpretandum? Cremero videtur de instinctu Dei esse sermonem; Dausch vero translationem de una ad alteram notionem significat esse non difficilem<sup>4</sup>. Sed omnes fere censem *θεόπνευστος* Scripturam indicare<sup>5</sup>. Haec sunt eorum argumenta. Primum, vocabula, quorum ultima syllaba cum τος terminatur non actionem denotant, sed factum. Deinde SS. Patres cum Graeci tum Latini in Pauli scripto Scripturam intelligunt. Vulgata, etiam, dum verbum graecum latine „divinitus inspirata“ vertit, Scripturam dicere inspiratam videtur. S. Petrus quoque, cum de inspi-

<sup>1</sup> Cf. Franzelin et Crets locis commemoratis. Sed Hitzig, Maurer, Schmoller, Knabenbauer, Haghebaert et alii existimant verba *אִישׁ הָרוּחַ* dici de falsis prophetis. Tamen Van Hoonacker censem illa

verba veros significare prophetas. Stat igitur argumentum. Cf. Van Hoonacker. Les douze petits prophètes; in loc.

<sup>2</sup> „Le souffle de Jahve est la cause de ltat prophetique. Cest une force surnaturelle qui transforme lhomme, en semparant de lui“. Ita P. Dhorme O. P. Les livres de Samuel, in loc.

<sup>3</sup> Cf. nr. 7.

<sup>4</sup> Cf. Dausch, loc. com. p. 30. Allata Cremeri opinione dicit: „Doch ist der Übergang vom neutralen zum passiven Sinne (gott-hauchend — gottgehaucht) sehr leicht, weil das, was Gottes Geist atmet, auch auf Gottes Kausalitat zurckweist.“

<sup>5</sup> Cf. Pesch loc. com. nr. 4. — Bainvel, loc. com. p. 110 et 111. — Brucker, loc. com. p. 8.

ratione loquitur, non commemorat actionem divinam, sed huius effectum. Quamquam vero proprie *θεόπνευστος* Scripturam significet, quia tamen in libro inspirato inest, ut quaedam causa antecedens, divinus instinctus, qui hominem facit conscribere divinitus, recte potest dici sententiam S. Pauli actionem quoque Dei continere. — 4. Scrutantur autem Theologi subtiliter Scripturarum recondita<sup>1</sup>, atque ex S. Pauli oratione quaedam eruunt. Liceat exempli causa sententiam P. Zanecchia afferre: „Patet autem hunc divinum afflatum vel impulsum non afficere extrinsecus hominem, sed intimas eius facultates, praecipue intellectum ac voluntatem: quod quidem recte significatur per verbum *inspirare*, quod idem sonat ac intus spirare. Est ergo inspiratio biblica vera ac proprie dicta actio supernaturalis divina non moralis, sed physica, qua homo ad scribendum movetur, seu, ut se exprimit Theodoretus, est Spiritus Sancti efficacia, τοῦ Θεοῦ Πνεύματος ἐνέργεια<sup>2</sup>.“

13. S. Petri ratio in Ep. II, cap. I, 19, seq. — Par est S. Pauli orationi illa S. Petri, qua veritatem doctrinae ab ipso traditae ostendere vult. De hac nonnulla exponamus. 1. In primis quidem quod nunc agatur de S. Scriptura. Etenim primo S. Petrus, pro argumento ponit Patris testimonium de nube loquentis; deinde rationem dicit ex prophetia, quae prima specie quavis exita ex ore prophetarum esse videtur, etiamsi in Scripturis non sit litteris expressa, legitur enim: *προφητικὸν λόγον* (v. 19), *προφητεία ἐλάλεσαν ἀπὸ θεοῦ ἀνθρώποι* (v. 21); sed revera argumentum illud est ex S. Scriptura, quatenus in ea sunt relictæ prophetiae. Quod pluribus ex rationibus apparent. Nam propheticus sermo, de quo S. Petrus disserit, est praesens, et quem hic et nunc christiani et habent *ἔχομεν*, et attendunt *προσέχοντες*; quod recte de prophetiis in Scriptura relictis, non vero de iis, quae aliquando sunt prolatae, sed non memoriae traditae, intelligi potest. Sed neque id contra pugnat quod dicatur prophetias, de quibus S. Petrus loquitur, esse

<sup>1</sup> Rationem theologorum P. Hugon sic ostendit. „L'Écriture, sans doute, n'a pas pour object de nous enseigner la métaphysique des causes, mais les mots eux-mêmes ont leur philosophie et il suffit d'analyser certains expressions pour y découvrir les doctrines les plus profondes.“ P. Ed. Hugon O. P. La causalité instrumentale, p. 121.

<sup>2</sup> P. Zanecchia O. P.: Divina inspirat. S. Scripturarum, p. 19.

pronuntiatas, ἐλάλεσαν, et non scriptas, quia prophetias Scripturarum quoque solitum est afferre ut dictas<sup>1</sup>, et ipse S. Petrus tali faciens modo inducitur<sup>2</sup>. Valde denique rem praesentem confirmat illud πᾶσα προφητεία γραφῆς (v. 20), quod idem significat ac προφητικὸν λόγον (v. 19) et προφητεία (v. 21). S. Petrus igitur, sine dubio, se ad prophetias Scripturarum refert<sup>3</sup>. — 2. Sed aliqui censem hoc loco non solum de prophetiis Scripturae, verum etiam de libris, quos vocant propheticos, historicos et morales, agi; imo etiam de singulis sententiis. Iam sermonem de libris esse universis sic ostendunt. In libris propheticis, historicis ac moralibus multae exstant prophetiae, vel libri omnes aut in sensu litterali, aut spirituali, aut quovis modo, ad Messiam spectant. Cum ergo de prophetia disseritur, omnes Libri comprehenduntur. Item in Sacris Litteris, nominibus prophetae et prophetiae, non solum prophetae prophetiaeque, sed cum omnes sacri scriptores, tum Libri cuncti appellantur. Similiter v. 21 dicitur „locuti sunt sancti Dei homines<sup>4</sup>“, universe scilicet, non de solis prophetis. Sermo autem S. Petri singulas complecti Scripturarum sententias idcirco vult Crets, quod πᾶσα ή vacet<sup>5</sup>. — 3. Sed ad explanationem v. 20 veniamus. S. Petrus tribus membris suam aperit sententiam, quorum primus in versu 20 exstat: „τοῦτο πρῶτον γινώσκοντες, δτι πᾶσα πρωφητεία γραφῆς ἴδιας ἐπιλύσεως οὐ γίνεται: Hoc primum intelligentes quod omnis prophetia Scripturae propria interpretatione non fit.“ Quod duplice exponi potest: vel S. Petrus interpretationis tradit regulam, quod nonnulli docent<sup>6</sup>; vel ut alii, verbi causa J. V. Bainvel, existimant, originem ipsam explicat prophetiae seu inspirationis. En Bainveli sententia: „Hic vero locus ex II Petri videtur omnino ita debere intelligi ut v. 20 agatur non de regula interpretandi, quod quidam faciunt, sed de ipsa origine sermonis prophetici“ etc.<sup>6</sup> Quod etiam videri video Patri Pesch<sup>7</sup>. Sancti vero Patres nihil fere de S. Petri

<sup>1</sup> Cf. Lc. I, 70; Act. IV, 25: Rom. I, 2.

<sup>2</sup> Act. III, 18, 21; I, 16.

<sup>3</sup> Cf. Ubaldo Ubaldi, loc. com. p. 62, seq. — Crets, loc. com. p. 72, seq. — Dausch, loc. com. p. 31, 32. — Chauvin, loc. com. p. 120, seq.

<sup>4</sup> Cf. Ubaldo Ubaldi, Crets, Chauvin, locis com.; Pesch nr. 386.

<sup>5</sup> Cf. Ubaldo Ubaldi, loc. com. p. 64 et 65. — Calmes, loc. com. p. 10. — Chauvin, loc. com. p. 121.

<sup>6</sup> Loc. com. p. 110 et 111 in Nota.

<sup>7</sup> Loc. com. nr. 386.

sententia loquuntur. Cassianus autem aliqua de II Petri tractat at non locum praesentem. Sed Beda, quamquam censem S. Petrum de prophetiae origine disserere, tamen a consilio S. Petri non putat esse legentium interpretationem sepositam: „Sicut ergo prophetae non sua propria sed Dei verba scribebant, ita et lector eorum non sua propria interpretatione potest uti, ne a sensu veritatis exorbitet, sed hoc omnimodis debet attendere quomodo sua verba voluerit intelligi ipse qui scripsit<sup>1.</sup>“ Huic Walfridus Strab. Fuld. assentitur<sup>2.</sup> Atque eodem modo in Cursu Scripturae Migne locus iste explanatur<sup>3.</sup> At si recte velimus intelligere, dicendum videtur S. Petrum normam dare interpretationis. Idque notio vocis ἐπιλύσεως ostendit. Illud tamen nomen in Septuaginta non exstat, et in Novo Testamento est ἀπαξ λεγόμενον, qua re ad verbi originem moremque graecorum confugere debemus. Nomen igitur ἐπιλύσις ab ἐπι-λύω est ductum. Quod iterum in Septuaginta non invenitur, nisi in quodam loco controverso. In Gen. enim cap. XLI, extremus versus 12, in Septuaginta et in Vulgata omissus, a quibusdam interpretibus completur hoc modo: ἀνδρὶ κατὰ τὸ ἐνύπνιον αὐτοῦ ἐπίλυσεν, unicuique somnium suum interpretatus est; ubi פָתַח, id est, interpretatus est, graece verbo ἐπέλυσεν redditur<sup>4.</sup> Sed in Novo Testamento bis reperitur, apud Mc. IV, 34, quo in loco parabolam interpretari significat; sed in Act. XIX, 39 dirimere litem. Apud auctores graecos autem verbo ἐπιλύω subiicitur notio solvendi (canem, leonem etc.), hinc ea diluere quae sunt objecta, sive explanare aliquid, sive refutare. Ex quo efficitur veram et propriam significationem verbi ἐπιλύω esse interpretari. Vocabulo igitur ἐπιλύσις concedenda est haec quoque significatio; et scriptores quidem graeci cum de actione solvendi seu laxandi vincula, vel de enodatione obiectorum, vel refutatione loqui volunt, vocabulo ἐπιλύσις utuntur. Ergo iure tueri possumus S. Petrum disserere de interpretatione Scripturarum et non de origine prophetiae. Quod sane orationis ex contextu confirmare licet. Nam in v. 19 S. Petrus argumentum proponit, admonet autem ali-

<sup>1</sup> M. L. 93, 73.

<sup>2</sup> M. L. 114, 691.

<sup>3</sup> Migne, Scripturae S. cursus completus, in loc.

<sup>4</sup> Cf. Abrahami Trommi Concordantiae graecae in Septuginta, 1718.

quid in v. 20: „hoc primum intelligentes“. Quod si haec admonitio referretur ad prophetiae originem, v. 20 non differret a 21, cum tamen coniunctio γάρ satis versum 20 esse rationem versus 21 significet, eoque hos versus inter se differre. Sin detur in v. 20 S. Petrum tractare interpretationem et in 21 prophetiae originem, tum res perspicua est. Atque idem appareat ex epistolae argumento, in qua gravissimis verbis eos S. Petrus reprehendit, qui, vitiis implicatis, suo marte interpretantur Scripturas, eosque nominat „magistros mendaces“ (II, 1); in III, 2 iterum prophetas commendat, atque condemnat in reliquis versiculis fraudulentos, qui de coelo, de terra, de aqua disserebant; denique cum de epistolis Pauli loquitur, aperte dicit: „quae indocti et instabiles depravant, sicut et caeteras Scripturas“ (III, 16). Ex quibus probe sumi potest S. Petrum in I, 20, etiam illorum hominum interpretationem improbare.

— 4. Explicato versu 20 ad 21 transeamus, in quo duo alia membra orationis S. Petri continentur: „οὐ γὰρ θελήματι ἀνθρώπου ἡνέγθη προφητεία ποτέ, ἀλλά ὑπὸ πνεύματος ἀγίου φερόμενοι ἐλάλεσαν ἀπὸ θεοῦ ἀνθρωποι: Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia: sed Spiritu sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines.“ Hic certe exponitur prophetiae origo, alterum quidem membrum unde non sit prophetia ostendit, alterum vero unde sit. In utroque autem S. Petrus verbo φέρω utitur, quod quamdam profecto postulat motionem. Secundum igitur S. Petri sententiam voluntas hominum non est causa prophetiae, sed Deus, et causa quidem principalis, sub qua homo, ductus a Spiritu Sancto, movetur. Iam ergo in verbis S. Petri, quasi in semine, vis tota rationis et doctrinae causae principalis et instrumentalis inest.

14. Conclusio quae ex Sacris Litteris conficitur. — Ex loco igitur Scripturarum eruitur, primum Deum esse Litterarum Sacrarum vere auctorem; scriptores autem sacros, propterea quod sub manu Dei agitantur et eorum ex voluntate non pendet prophetia, esse Dei ministros, seu, ut vocant, instrumenta; deinde sanctos scriptores, ut verba θεόπνευστος ac φερόμενοι significant, singulari quodam et mirabili modo Spiritu Sancto afflari; postremo universis regionibus Librorum Sacrorum divinam inspirationem, ut docet praecipue S. Paulus, circumscribi.

### III. De inspirationis natura apud SS. Patres

15. Quaedam universim de inspiratione. — Perdifficile certe est SS. Patrum sententiam breviter exponere, cum tot sint Patres, eorumque scripta non magis doctrina quam verbis Divinarum sint referta Litterarum. Quod vero ad notionem inspirationis attinet, haec apud SS. Patres non est omni in genere ab initio perfecta, sed magis perpolitur in dies. Etenim et a Deo et ab homine esse Canonicas Scripturas ortas significant Patres apostolici; Apologetae autem ac subsequentes scriptores pressius definiunt vim inspirationis; eam vero multo magis illustrant scholae Alexandriae et Antiochiae; inspirationis denique summas S. Hieronymus et S. Augustinus cumulate tradunt. Errorum autem, qui primis saeculis in Ecclesia serpserunt, unus fuit Montanismus, qui inspirationem attigit. At valde a sententia Montanistarum, quibus videbatur prophetas fuisse expertes rationis, abhorrent Patres, hominesque divinitus inspiratos mentis compotes fuisse, vehementer tutantur<sup>1</sup>. Quid vero Patres, quo in numero sunt etiam scriptores, qui ecclesiastici appellantur, senserint aliqui perquisiverunt: de Originis<sup>2</sup> quidem, de S. Ioannis Chrysostomi<sup>3</sup>, de S. Hieronymi<sup>4</sup> sententia alii alios libros scripserunt; de omnium autem Patrum ratione disputatione Dausch<sup>5</sup>, uberius vero P. Pesch<sup>6</sup>, nonnihil etiam I. V. Bainvel<sup>7</sup>. Ponamus igitur capita, ad quae universa Patrum refertur doctrina eamque verbis ipsorum declaremus.

16. Actio Dei. — Sanctae Scripturae instinctu sunt divino conscriptae. Quamquam vero id satis superque ea ostendunt, quae No. 7 dicta sunt, tamen hoc loco S. Clementis Romani auctoritate supersedendum non est: „Ministri, inquit, divinae gratiae per Spiritum Sanctum de paenitentia sunt locutis.“

17. Deus est confectionis Divinorum Librorum auctor. — En vox Patrum. Clemens Alexan-

<sup>1</sup> Apud Patres idem dicitur et de prophetia et inspiratione, quia inspirationem ad prophetiam referunt.

<sup>2</sup> Aug. Zöllig: Die Inspirationslehre des Origenes, Freiburg, 1902.

<sup>3</sup> S. Haidacher: Die Lehre des hl. Ioannes Chrysostomus über die Schriftinspiration, Salzburg, 1897.

<sup>4</sup> Ludwig Schade: Die Inspirationslehre des hl. Hieronymus, Freiburg im Breisgau, 1910.

<sup>5</sup> loc. com. pag 45—85. — <sup>6</sup> loc. com. nr. 36—134. — <sup>7</sup> loc. com. pag. 82—94. — <sup>8</sup> M. G. 1. 22.

drinus, „Ipse Dominus in Isaia loquitur, ipse in Elia, ipse in ore prophetarum<sup>1</sup>.“ Theodoreetus Cyrensis de Psalmorum scriptore plures dicit disputare, tamen hoc ipse aspernatur „cum constet divini Spiritus afflatu universos esse conscriptos<sup>2</sup>.“ S. Cyrillus Hierosolymitanus: „Unus est enim, ait, utriusque Testamenti Deus, qui Christum in Novo conspicuum factum, praenuntiat in Veteri<sup>3</sup>. S. Hieronymus affirmat Iesum solvisse signacula omnium Scripturarum, „quae uno scriptae sunt Spiritu Sancto, et propterea unus liber appellantur<sup>4</sup>.“ S. Augustini tandem haec sunt verba, „Deus etiam Scripturam condidit, quae canonica nominatur, eminentissimae auctoritatis<sup>5</sup>.“ Eo quod Scriptura est a Deo edita, Patres eam epistolam esse Dei ad homines missam existimant; eiusque verba, Spiritus Sancti verba; in ea Deum loqui; vocari sanctam, divinam; perfectam esse augusteque venerandam; nihil perversum aut iniustum continere; ex eis quidquid addere, aut mutare aut detrahere licere nemini; non solum litteralem, verum etiam allegoricum habere sensum, immensum esse pelagus atque fidei regulam. Praeterea Scripturam fuisse ut divinam habitam facile intelligitur ex priscorum Christianorum moribus, qui incredibili Divinarum Litterarum studio flagrabant, et Evangeliorum Libros ferebant in pectore, morteque, quod tradere Santos Libros recusabant, multabantur; denique multis amplissimorum honorum signis Sacras Litteras decorarunt.

18. *Scriptor sacer est instrumentum.* — Egregia est vox SS. Patrum istud affirmans. In Cohortatione ad Graecos legitur prophetis opus fuisse „pueros seipsos divini Spiritus operationi praebere ut divinum illud delapsum e coelis plectrum, velut quodam citharae aut lyrae instrumento, ita iustis hominibus utens, divinarum nobis et coelestium rerum cognitionem recluderet<sup>6</sup>. Athenagoras dicit prophetis Spiritum uti „velut si tibiam inflet tibicen<sup>7</sup>. Hippolytus de prophetis ait: „Spiritum prophetiae aptati, digneque ab ipso Verbo honorati, quonimirum velut organa in seipsis semper unitum Verbum tamquam plectrum haberent; cuius nutu atque afflatu, quae Deus vellet haec prophetae annuntiabant<sup>8</sup>.“ Origenes

<sup>1</sup> M. G. 8, 63. — <sup>2</sup> M. G. 80, 862. — <sup>3</sup> M. G. 33, 495. — <sup>4</sup> M. L. 24, 343. — <sup>5</sup> M. L. 41, 318. — <sup>6</sup> M. G. 6, 257, 258. — <sup>7</sup> M. G. 6, 907. — <sup>8</sup> M. G. 10, 727, 730.

sacros scriptores appellat ministros: „Exquisitissima cura et studio Spiritus Sanctus per ministros verbi ista subiecit<sup>1.</sup>“ Theodoretus Cyrensis prophetas tanquam Spiritus Sancti instrumenta designat: „omnes novimus esse divini Spiritus instrumenta (*ὅργανα*)<sup>2.</sup>“ Hieronymus scribit: „Debeo ergo et linguam meam quasi stilum et calatum praeparare, ut per illam in corde et auribus audientium scribat Spiritus Sanctus. Meum enim est quasi organum praebere linguam: illius quasi per organum sonare quae sua sunt<sup>3.</sup>“ S. Augustinus item: „Omnibus autem discipulis suis per hominem, quem assumpsit, tamquam membris sui corporis caput est. Itaque cum illi scripserunt, quae ille ostendit et dixit, nequaquam dicendum est quod ipse non scripserit, quandoquidem membra eius id operata sunt, quod dictante capite cognoverunt<sup>4.</sup>“ Montanistarum autem perniciosum errorem aspernantur ac respuunt Patres; sic Origenes asserit: „Sancti angeli et ipse Deus inoperatus est in prophetis, suggestionibus sanctis ad meliora provocans et cohortans, ita sane ut maneret in arbitrio hominis ac iudicio, si sequi velit aut nolit ad coelestia et divina provocantem<sup>5.</sup>“ S. Ioannes Chrysostomus: „Hinc etiam, ait aliquid aliud discimus, nempe prophetas non fuisse sicut vates... Sed non ita facit Sanctus Spiritus, sed permittit ut cor cognoscat quae dicuntur... Spiritus autem Sanctus, ut qui nostri curam gerat, et beneficio afficiat, id agit ut qui eum suscipiant, sint sensus participes, et illis intelligentibus, revelat quae dicuntur<sup>6.</sup>“ Hieronymus quoque: „Neque vero inquit, ut Montanus cum insanis feminis somniat, prophetae in extasi sunt locuti, ut nescierint quid loquerentur... quomodo sapientes prophetae instar brutorum animantium, quid dicerent, ignorabant?<sup>7.</sup>“ Crebro tamen aliqui Patres ita de excellenti Dei praestantia loquuntur, ut sacer scriptor videatur quasi non esse rationis particeps; sed tunc eorum opinionem non oportet nimis premere.

19. Mens prophetae, ut perspiciat veritates, a Deo illustratur. — Hac in re hos Patres nominemus. Hippolytus de prophetis ait: „Primum Verbi numine

<sup>1</sup> M. G. 12, 1082. — <sup>2</sup> M. G. 81, 1258, 1259. — <sup>3</sup> M. L. 22, 627. —

<sup>4</sup> M. L. 34, 1070. — <sup>5</sup> M. G. 11, 317. — <sup>6</sup> M. G. 55, 183, 184. — <sup>7</sup> M. L. 24, 19.

rite sapientia imbuti; exinde per visa, quae essent futura probe praedocebantur<sup>1.</sup> S. Hilarius Pictaviensis prophetas loqui affirmat „cognitione non sua<sup>2.</sup>“ Origenes, „Per Sancti Spiritus contactum inquit, ut ita loquar, mentem eorum (prophetarum scilicet) perspicaciorem animamque splendidiorem factam fuisse<sup>3.</sup>“ S. Ioannes Damascenus dicit: „prophetam Spiritus lumine perfusum ( $\varphi\sigma\tauι\zeta\mu\epsilon\nu\sigma$ ) ordine docere<sup>4.</sup>“ S. Augustinus explicat diversos prophetiae modos, tertium vero visionis gradum sic declarat: „est secundum mentis intuitum, quo intellecta conspiciuntur veritas atque sapientia<sup>5.</sup>“ item: „Cur autem Spiritus Sanctus dividens propria unicuique prout vult, et ideo mentes quoque sanctorum propter Libros in tanto auctoritatis culmine collocandos, in recolendo quae scriberent, sine dubio gubernans et regens<sup>6.</sup>“

20. Nullus prorsus error S. Scripturae admiscetur. — Proverbium tritum et pervulgatum est apud Patres nullum errorem in Scriptura inveniri, ob eamque causam aliquid contra illud dicere, est opinione ipsorum, impium, diabolicum, haereticum. En quid ipsi Patres dicant: Origenes, „Proinde consequens est nullus ex Evangelistis vel fallente vel mentiente“ etc.<sup>7</sup> S. Ioannes Chrysostomus contra eos qui apud Evangelistas esse pugnantia arbitrati sunt „reprehendunt omnes evangelistas, ait, tamquam inter se pugnantes et dissonantes. Atqui non ita res se habet, absit<sup>8.</sup>“ S. Hieronymus, „Primum te scire volumus omnem sanctam Scripturam non posse sibi esse contrariam, et maxime unum adversum se non discrepare librum: et ut plus adiiciamus, eumdem eiusdemque libri locum<sup>9.</sup>... „Scriptura mentitur, quod dicere nefas est<sup>10.</sup>“ S. Augustini testimonium est praeclarum, „Mihi videtur exitiosissime credi aliquid in Libris sanctis haberi mendacium<sup>11.</sup>“ „Solis eis Scripturarum libris qui iam canonici appellantur, didici hunc timorem honoremque deferre, ut nullum eorum auctorem scribendo aliquid errasse firmissime credam<sup>12.</sup>“

21. Nihil, nec litterae, nec apices actionem divinam inspirationis effugit. — Quemadmodum

<sup>1</sup> M. G. 10, 730. — <sup>2</sup> M. L. 9, 756. — <sup>3</sup> M. G. 11, 1426. — <sup>4</sup> M. G. 95, 664. — <sup>5</sup> M. L. 42, 171. — <sup>6</sup> M. L. 34, 1102. — <sup>7</sup> M. G. 14, 258. — <sup>8</sup> M. G. 51, 53. — <sup>9</sup> M. L. 22, 486, 487. — <sup>10</sup> M. L. 25, 1238. — <sup>11</sup> M. L. 33, 112. — <sup>12</sup> M. L. 33, 277.

id Patres exponant videamus. **O**rigenes, „Non possumus hoc dicere de Sancti Spiritus litteris, quod aliquid in eis otiosum sit aut superfluum<sup>1</sup>.“ **S.** **G**regorius **N**azianzenus, „At nos qui Spiritus diligentiam vel usque ad levem apicem et lineam trahimus<sup>2</sup>“ etc.<sup>2</sup> **S.** **I**oannes **C**hrysostomus hoc saepe atque dilucide docet: „Non enim verba qualiacumque sunt, sed Spiritus Sancti verba, et propterea magnum ibi thesaurum invenire licet, etiam in una syllaba<sup>3</sup>.“ Item: „Neque enim vel syllaba vel apiculus est in sacris Litteris, in cuius profundo non sit grandis quispiam thesaurus<sup>4</sup>.“ Similiter: „In sacris Scripturis nihil supervacaneum esse intellegatis et non necessarium, sive unum iota sit, sive apex unus... Saepe vel litterae unius accessio integrum agmen sententiarum invexit<sup>5</sup>.“ **S.** **H**ieronymus, „Sed quia ita habetur in graeco, et singuli sermones, syllabae, apices, puncta, in divinis Scripturis plena sunt sensibus: propterea magis volumus in compositione structuraque verborum quam intelligentia periclitari<sup>6</sup>.“

**22. Conclusio ex SS. Patrum doctrina.** — Ex iis quae hactenus diximus perspicuum est SS. Patres dilucide divinam inspirationis actionem exponere, et ab eo quod illam consequitur, Deum videlicet esse Sacrarum auctorem Litterarum, disiungere. Scriptorem autem humanum, iam primis saeculis, docent esse Dei ministrum illumque citharae, lyrae, tibiae comparant; cum vero Montanistae voluerunt homines Dei esse insanos, tum Patres eorum refellerunt argumenta. De hoc vero, quod ad mentem attinet, eam dicunt Patres esse singulari modo a Deo illustratam; hanc tamen illustrationem non distinguunt adhuc ab illa prophetarum propria. Insuper mentem scriptorum sic amplificatam, sicut et Divinos Libros accuratissime, nullo prorsus depravari errore tutantur. Inspirationem denique minime censem teneri augustiis; sed tantam esse, ut, quicquid pertinet ad Scripturam, inspiratum ea divinumque efficiat.

#### IV. De inspirationis natura in Ecclesiae monumentis

**23. Ante Concilium Florentinum.** — Pauca tantum huius temporis exstant monumenta. In Symbolo

<sup>1</sup> M. G. 12, 782. — <sup>2</sup> M. G. 35, 503. — <sup>3</sup> M. G. 53, 119. — <sup>4</sup> M. G. 53, 175. — <sup>5</sup> M. G. 51, 187. — <sup>6</sup> M. L. 26, 512.

Nicaeno-Constantinopolitano legitur: „Et in Spiritum Sanctum... qui locutus est per sanctos Prophetas (per Prophetas)<sup>1.</sup>“ Postea vero „Unum Deum esse auctorem Veteris et Novi Testamenti“ interdum reperitur in Symbolis et Fidei Professionibus<sup>2</sup>; atque de hac quoque re Episcopi consecrandi iam illis temporibus interrogabantur<sup>3.</sup> Ex quibus efficitur Deum, secundum prisca Ecclesiae monumenta, esse totius Scripturae Sacrae auctorem, hominem vero ministrum, cuius voce Spiritus Sanctus loquitur.

24. A Concilio Florentico usque ad Vaticanum. — Hoc quidem longo intervallo tria Concilia praestantissima inspirationis rationem illustrarunt:

Concil. Florentinum	Concil. Tridentinum	Concil. Vaticanum
„Unum atque eundem Deum Veteris et Novi Testamenti, hoc est Legis et Prophetarum atque Evangelii (Sacrosancta Romana Ecclesia) profitetur auctorem: quoniam eodem Spiritu Sancto inspirante utriusque testamenti Sancti locuti sunt <sup>4.</sup> “	(Sacrosancta Tridentina Synodus) „omnes libros tam Veteris quam Novi Testamenti, cum utriusque unus Deus sit auctor... suscipit ac veneratur...“ „Si quis autem libros ipsos integros cum omnibus suis partibus... pro sacris et canonicis non suscepereit AS. <sup>5.</sup> “	„Quicquidem Veteris et Novi Testimenti libri integri cum omnibus suis partibus, prout in eiusdem Concilii (Tridentini) decreto recensentur... pro sacris et canonicis recipiendi sunt. Eos vero Ecclesia pro sacris et canonicis habet, non ideo, quod sola humana industria concinnati, sua deinde auctoritate sint approbati; nec ideo dumtaxat, quod revelationem sine errore contineant; sed propterea quod Spiritu Sancto inspirante conscripti Deum habent auctorem, atque ut tales ipsi Ecclesiae traditi sunt <sup>6.</sup> “

In Concilio Florentino igitur id docetur iterum, quod iam erat in Symbolis et Fidei Professionibus traditum, Deum videlicet universae esse Scripturae auctorem. Ad quod etiam hoc additur, hominem scriptorem non motu suo locutum fuisse, sed inspirante Spiritu Sancto, quod est ministri

<sup>1</sup> Cf. Denzinger, Euchiridion, 1908, nr. 86. — <sup>2</sup> Ibid. nr. 28, 348, 421, 464. — <sup>3</sup> Cf. P. Pesch. loc. com. nr. 138 et 208. — <sup>4</sup> Denzinger loc. com. nr. 706. — <sup>5</sup> Ibid. nr. 783 et 784. — <sup>6</sup> Ibid. nr. 1787.

munus. In quo quidem nihil novatur; in Symbolo enim Nicaeno Constantinopolitano id ipsum affirmatur; etsi hoc differant inter se quod loqui Symbolum adscribat Spiritui Sancto, Concilium autem sancto scriptori. At animo intento est ultimum membrum scrutandum: „quoniam eodem Spiritu Sancto inspirante utriusque testamenti Sancti locuti sunt“; nam in eo non modo Spiritus Sancti inspiratio et motus instrumentalis scriptoris plane cernitur, verum etiam continetur primum in ecclesiasticis commentariis Deum idecirco esse auctorem, quod inspiravit Spiritus Sanctus sanctos viros.

In Concilio quoque Tridentino idem urgetur, Deum nempe Sacrarum esse auctorem Litterarum; actiones vero Spiritus Sancti hominumque scriptorum, de quibus Florentinum loquitur, etiam Tridentinum tangere, etsi id non exprimatur omnino verbis, censem P. Pesch: „Etsi, ait, in decreto solae traditiones dicuntur a Spiritu Sancto dictatae, hoc tamen ex mente Concilii aequa refertur ad litteras sacras, quia hac locutione docere voluit pari pietatis affectu ac reverentia suscipiendas esse traditiones atque Scripturam, id quod verum non esset, si aut traditiones aut Scripturae non essent a Spiritu Sancto dictatae<sup>1</sup>.“ Sed inspirationis de terminis primum Concilium praecipit Tridentinum, cuius sententia libri integri cum omnibus suis partibus sunt sacri et canonici, ob eamque rem inspirati quoque, cum ratio sanctitatis atque canonicitatis sit inspiratio.

In Concil. Vaticano autem primum inspirationis fines, iam in Tridentino descripti, commemorantur; deinde duplex excluditur error; ac postremo sanctitatis et canonicitatis ratio, iam in Florentino redditum, affertur, nempe Deum esse auctorem propterea quod Spiritus Sanctus ad loquendum, vel, quod idem est, ad conscribendum inspiravit. Concilium igitur Vaticanum ea confirmavit quae Florentinum et Tridentinum statuerant, erroresque exortos post Tridentinum improbavit. Quorum alter a Sixto Senensi (1566) fuit inductus<sup>2</sup>. Universitas autem Lovaniensis, inter alia quae P. Lessius S. I., professor Lovanii (1586) docuerat, tria de inspiratione vituperavit. En tertium: „Liber aliquis (qualis forte est 2 Machabaeorum) humana industria sine assistentia

<sup>1</sup> loc. com. nr. 274.

<sup>2</sup> Cf. Jean — Michel — Alfred Vacant: Etudes theologiques sur les constitutions du Concile du Vaticain. 1895. Tom. I, p. 461.

Spiritus Sancti scriptus, si Spiritus Sanctus postea testetur, ibi nihil esse falsum, efficitur Scriptura Sacra<sup>1</sup>. Est difficile discernere an Lessii sententia sit vel non a Concilio repudiata<sup>2</sup>; aliqui censem revera fuisse reiectam, plerique vero contra, ut Gasser<sup>3</sup> et Kleutgen existimant: „Nequaquam haec fuit mens Concilii Lessii opinionem reprobare<sup>4</sup>.“ Bonfrerii autem opinionem Vacant non putat esse blanda dignam interpretatione, ut Lessi doctrinam<sup>5</sup>; Card. Billot tamen Bonfrerium excusat<sup>6</sup>. Sed Danieli Haneberg profecto placet relationes, ut ait, empirico-historicas esse inspiratas sola subsequente approbatione, cum vero postea iterum opus edebatur, doctrina secundum normas Concilii fuit emendata<sup>7</sup>. Atque alterum errorem Concilium respuit eorum nempe qui, ut liber sit inspiratus, sufficere dicebant in eo aut Ecclesiae doctrinam esse traditam, aut aliam quamcumque, dummodo non sit falsa illa doctrina. Idque videtur Iahn<sup>8</sup> atque Holden docuisse<sup>9</sup>.

25. Inde a Concilio Vaticano. — Post Concilium autem Vaticanum perdifficilis ac maxima quaestio in controversia et contentione versabatur: num res solas fidei et morum inspiratio complectatur errorisque privatio, aut num universam prorsus Scripturam? P. Pesch quatuor scriptores, ut specimina huius disputationis affert<sup>10</sup>. Sententiam vero Salvatoris di Bartolo breviter ad hunc modum describit: „Tota quidem Scriptura est inspirata, sed praeter res fidei et morum et res cum his essentialiter nexus. Scriptura non est infallibilis, sed potest continere errores.“ In extrema autem expositione opinionis Cardinalis Newman dicit: „Itaque quoad res, quae nullum nexum habent cum

<sup>1</sup> Iosephus Kleutgen S. I., R. P. Lessii S. I.: De divina inspiratione doctrina. (In libro Controversiarum de divinae gratiae etc. concordia. Gerardus Scheemann S. I.: Friburgi. Brisg. 1881.) p. 466.

<sup>2</sup> Certe tamen a Theologis reiicitur. P. Schiffini S. I. dicit: Quod vero spectat inspirationem subsequentem, plures viri docti S. I. in Belgio, Lessius, Hamelius, Bonfrerius, Platellius, docuerunt, loquendo de possibili librum aliquem humana industria conscriptum effectum iri Scripturam sacram, si Spiritus Sanctus publico testimonio, Prophetae exempli gratia, ant Apostoli, postea testetur nihil falsi in illo contineri. Hoc quoque merito reiicitur e communi sententia theologorum. Divinitas Scripturarum, p. 223 et 224.

<sup>3</sup> Cf. Vacant, loc. com. p. 665. — <sup>4</sup> Kleutgen, loc. com. p. 490. — <sup>5</sup> loc. com. p. 462. — <sup>6</sup> De inspirat. S. Script., p. 19. — <sup>7</sup> Cf. P. Pesch, nr. 326. — <sup>8</sup> Cf. Vacant, loc. com. p. 463. — <sup>9</sup> Cf. P. Pesch, nr. 316. — <sup>10</sup> Ibid. nr. 333—342.

fide et moribus, Cardinalis Newman admittit in Scriptura „obiter dicta“ quibus non necessario ut verbis infallibilibus fides habenda sit, idque ob eam rationem, quod ad finem Sacrae Scripturae hoc non requiratur.<sup>4</sup> Similiter Franciscus Lenormant et Rssimus d'Hulst censem quoque inspirationem integrum comprehendere Scripturam, quamquam non omnia necessario sint vera. Sed ne opiniones istae serperent longius Summus Pontifex Leo XIII edidit piaeclaram et magnificam Encyclicam „Providentissimus“, quae naturae inspirationis clarissimum praetulit lumen. Exponamus igitur nunc breviter viam, quam in rei explicatione Summus Pontifex persequitur. Qui postquam de Physicis disseruerat ad historiam venit, in qua sunt magnae difficultates; eas autem, sententia Pontificis, oportet aut sapienti codicum emendatione exsorbere, aut optimis et recte adhibitis interpretandi regulis. Deinde duos errores, quos modo diximus, confutat: „at nefas omnino fuerit aut inspirationem ad aliquas tantum sacrae Scripturae partes coangustare, aut concedere sacrum ipsum errasse auctorem<sup>1</sup>.“ Atque illico eorum fundamentum, qui has inserebant opiniones funditus labefactat; volebant enim illi veritatem Scripturarum fine, ad quem omnia Librorum Sacrorum referuntur, id est, res fidei et morum, metiri; ex quo concludebatur ea falsa esse posse quae ad fidem moresque non pertinerent. Atqui idipsum profecto Leo XIII expludit ostenditque argumentatione hac Sacras Litteras nullo prorsus implicari errore: sunt enim Spiritu Sancto dictante conscriptae; unde principalis auctor Deus est; igitur error, si quis in his Libris reperiatur, necessario esset Deo attribuendus. Quod certe maximum est nefas. Deum autem esse auctorem Librorum Sacrorum comprobat confirmatque ipse Pontifex nixus totius auctoritate Ecclesiae et praeceptis Conciliorum Florentini, Tridentini et Vaticani. At dicere forsitan quis potest Deum sane non errare, sed utique hominem scriptorem. Iam vero Romanus Pontifex ideo hoc respuit, quod error scriptoris sacri auctori principali est attribuendus. Et insuper scriptorem, qui instinctu cietur divino, non posse falsum docere, exquisita ratione, ex intima hominis natura ducta, confirmat, et auctoritate quoque SS. Patrum. Praeterea eadem auctoritate neque in ipsis Divinis Litteris esse errorem

<sup>1</sup> Camerlynck, loc. com. p. 23 et 24.

omnino statuit. Itaque in Litteris Leonis XIII, omnia quidem continentur, quae in superioribus Ecclesiae monumentis; sed quoad inspirationem non solum significatur, ut in Concilio Tridentino, ipsam per libros integros cum omnibus suis partibus pervadere, sed in res etiam singulas, nulla excepta, penetrare; ac magna quidem res et nova, errorem videlicet nullum divinas in Litteras irrepere, proponitur et verbis explicatur amplissimis<sup>1</sup>.

Leoni igitur XIII propositum erat ostendere a Sacris longe abesse errorem Libris; ad hoc autem tot et tanta a natura inspirationis sunt repetita, ut iure hic fons uberrimus censeatur ad inspirationem illustrandam. Breviter ergo de hoc fonte dicamus: 1. In Encyclica aperte Deum esse auctorem principalem, hominemque munus exsequi instrumenti affirmatur; itemque inspirationem normis subiici rationis causarum principalium et instrumentalium. Etenim Deus „auctor primarius“ appellatur. Et cum Romanus Pontifex dicit: „Libri omnes atque integri, quos Ecclesia tamquam sacros et canonicos recipit, cum omnibus suis partibus, Spiritu Sancto dictante, conscripti sunt“, verba „Spiritu Sancto dictante“ in sententiae contextu significant Deum esse principalem auctorem; sin minus id quod Pontifex concludere vult non efficeretur ex propositis. Scriptor vero humanus instrumento comparatur: „Spiritum Sanctum assumpsisse homines tamquam instrumenta.“ Effectus denique harum causarum, secundum legem notionis causae principalis et instrumentalis et agenti principali attribuitur, et instrumentalis: „Quare nihil admodum refert, Spiritum Sanctum assumpsisse homines tamquam instrumenta ad scribendum, quasi, non quidem primario auctori, sed scriptoribus inspiratis quidquam falsi elabi potuerit.“ — 2. Sed maiori commendatione digna est oratio Pontificis, quae actionem divinam inspirationis tractat: „Supernaturali ipse virtute ita eos ad scribendum excitavit et movit, ita scriptoribus adstitit, ut ea omnia eaque sola quae ipse iuberet,

<sup>1</sup> Auctoritatem autem Encyclicae sic exponit I. V. Bainvel: „Encyclica haec magnae est auctoritatis, ut quae sit instructio totius Ecclesiae per summum Pastorem: non tamen est definitio fidei. Num vero hic Papa aliquid proprie *definiat* non omnino liquet; sed certum est ex verbis Encyclicae esse in fide Ecclesiae duo de quibus quidam dubitaverant: inspirationem totius Scripturae, inerrantiam (ut cum inspiratione connexam).“ loc. com. p. 38, Nota 1.

et recte mente conciperent, et fideliter conscribere vellent, et apte infallibili veritate exprimerent.“ Quam orationem ex partibus constare duabus facile apparet ex verbo „ita“, quod bis in prima parte adhibetur, et ex „ut“, quo secunda exorditur pars; primumque membrum munus divinae actionis exponit, alterum vero quid haec actio efficit in scriptore. Haec autem sunt perquirenda sedulo.  $\alpha$ ) In primo igitur membro ante oculos ponitur Spiritus Sancti virtus, cuius est excitare, movere, adstare. Haec ergo virtus, quae supra naturam est, excitat et movet; movere autem et excitare non multum videntur differre; nam excitare virtutem divinam exprimit, momento quo moturus tangit, ac movere effectum virtutis excitantis, seu motionem moti. Adstare tamen sribentibus virtutem significat divinam a moto non recedere, sed remanere tantum temporis, quantum necesse est ut liber conscribatur. Idque eo magis patet quod nominibus „ad scribendum“, „scribentibus“ omnes omnino processus confectionis libri designantur, nec ultimus quidem omittitur, ipsa scriptio. —  $\beta$ ) Atque in secundo membro id ponitur, in quo inspiratio versatur: „ea omnia eaque sola quae ipse iuberet“; ac describitur continuo mirabilis facultas, quam virtus Spiritus Sancti gignit in sacro scriptore. Haec enim mentem facit ea quae Deus iubet recte concipere, voluntatem autem eadem velle fideliter conscribere, alia vero quibus homo ad exponendum res quas sentit, utitur, facit apte infallibili veritate ea exprimere, quae divinitus concepit ac voluit. —  $\gamma$ ) Ad illa autem adiungitur: „secus non ipse esset auctor sacrae Scripturae universae.“ Qua re si Deus divina virtute non excitaret, non moveret, non adstaret, si non conciperet mens, si voluntas nollet, si alia subsidia ad res exponendas necessaria non exprimerent, breviter, haec omnia si motione carerent Dei, Deus non esset auctor universae Scripturae. Itaque si daretur virtutem supernaturalem excitare et movere mentem, voluntatem et alia, quibus sententiae et res exprimuntur, atque eisdem, praeter mentem, adstare etiam, Deus profecto non esset auctor totius, quia deest continuatio virtutis divinae in ratione. Aequa accideret si eadem Dei virtus, quae excitat, movet, adstat, mentem faciendo concipere voluntatemque velle, nec excitaret, nec moveret, nec adstaret scriptori sensa exprimenti; tunc virtus Spiritus Sancti prius sane scinderetur, quam ad finem perveniret; ac Deus esset vi-

sionis veri conciliique voluntatis, at non „auctor sacrae Scripturae universae“. — 3. Summus Pontifex doctrinam quam ipse exposuit dicit esse catholicam: „Consequitur ut qui in locis authenticis Librorum sacrorum quidpiam falsi contineri posse existiment, ii profecto aut catholicam divinae inspirationis notionem pervertant, aut Deum ipsum erroris faciant auctorem.“ Ergo si velimus tandem recte de natura inspirationis iudicare, debemus Encyclicae doctrinam vehementer etiam atque etiam evolvere.

Exstant quoque alia commentaria, quae post Encyclicam „Providentissimus“ sunt edita. Nam opinio eorum qui dicebant cum inspirationem Veteris Testamenti in modo ignoto consistere religiosas tradendi doctrinas, tum eamdem inspirationem, quae ab omni errore praemunit, non complecti omnes et singulas partes, fuit in Decreto „Lamentabili reiecta“<sup>1</sup>; et in Encyclica „Pascendi“, sententia modernistarum de inspiratione<sup>2</sup>.

**26. Conclusio ex Ecclesiae monumentis.** — Patet igitur antiquissimas litteras Ecclesiae docere Deum esse Sacrorum auctorem Librorum; idque commemorat Concilium quoque Florentinum; sed illud insuper affirmat inspirationem esse causam, cur Deus probe auctor appelletur. Concilium autem Tridentinum fines inspirationis certos describit, et Vaticanum duplices respuit depravatas opiniones. Sed Encyclica „Providentissimus“ et scriptorem humanum et Scripturam diligentissime exponit in nullo versari errore, inspirationemque accuratiori modo terminis definit, ac luce clarissima naturam inspirationis illustrat. Reliqua commentaria denique adhuc improbant inanitates quasdam.

### Alter Fons, Scriptor Sacer

**27. Evangelii S. Lucae prologus.** — Pauca ex isto fonte manant. Etenim sacri scriptores erant inspirationis ignari; et si forte divinitus sese a Deo esse afflati sciebant, inspirationis tamen naturam ne suspicari quidem poterant, cum Deus in iis quae sunt secundum vel supra naturam, res creates modo tam naturali moveat, ut vix homo ipse sciat se a Deo moveri. At duobus saltem Scripturae locis videre licet quomodo scriptor se sub inspiratione

<sup>1</sup> Denzinger, loc. com. nr. 2010, 2011.

<sup>2</sup> Ibid. nr. 2090.

gerat. Quos breviter exponamus; primo quidem prooemium S. Lucae. De quo P. V. Rose ait primum esse gradum quo Theologos quaerentes qualis et quanta sit inspiratio ascendere oportet<sup>1</sup>. Hoc igitur in prologo (I, 1—4), eorum more qui graecam scripserunt historiam, S. Lucas operis rationem reddit<sup>2</sup>. Et quidem versibus 1 et 2 causam describit, quae eum ad conscribendum movit, in versu autem 3 viam aperit sequendam: „ex ordine tibi scribere“; et cum dicit παρηκολουθηκότε ἀνωθεν πᾶσιν ἀχριθῶς, satis quam curiosus fuerit in rerum investigatione declarat; omnia enim erat ab initio scrutatus, in commentariis profecto, et in his quae christiani memoriter conservabant. In versu denique 4 finem declarat ad quem narratio spectat, nempe Theophilum veritatem eorum docere, quae iam acceperat.

28. *Testimonium scriptoris II libri Machabaeorum.* — Scriptor genus sui libri significat hoc pacto: „itemque ab Iasone Cyrenaeo quinque libris comprehensa, tentavimus nos uno volumine breviare“ (II, 24). Ratio autem qua motus fuerat ad scribendum erat librorum multitudo et difficultas, quam rerum copia legentibus afferebat (v. 25). En vero propositum suum: „curavimus volentibus quidem legere, ut esset animi oblectatio; studiosis vero, ut facilius possint memoriae commendare; omnibus autem legentibus utilitas conferatur“ (v. 26). Sed ad hoc plurimum est ei adlaborandum: „et nobis quidem ipsis, qui hoc opus breviandi causa suscepimus, non facilem laborem, immo vero negotium plenum vigiliarum et sudoris assumpsimus“ (v. 27). Ac veniam a legentibus eorum petendo, quae minus digne in opere inveniri poterint, finem facit libri.

29. *Conclusio ex hoc fonte.* — Ex hoc igitur duplice loco eruere licet scriptores sacros causis naturalibus, ut Lucas aliorum narratione et scriptor II Machabaeorum librorum mole incommodoque legentium ad scribendum esse motos; finemque naturalem etiam sibi proposuisse, cuiusmodi est Theophili firmitudo in fide delectatioque legentium historiam Iudeorum. Sed ad propositum assequendum scriptoribus sacris summe quandoque est elaborandum, ita Lucas sedulo fontes inquisivit et scriptor II libri Machabaeorum lucubrationibus multoque labore opus confecit.

<sup>1</sup> Cf. *Evangile selon S. Luc.* Paris, 1909, in loc.

<sup>2</sup> Cf. E. Iacquier, loc. com. vol. II, p. 471.

Nec uti fontibus est scriptorum Sacrarum Litterarum alienum, in iis enim Lucas versabatur; sicut nec epitomen exarare, cuius generis est II liber Machabaeorum. In libro denique divinitus inspirato, quaedam minus perfecta reperiri possunt, ob eamque causam a legentibus veniam scriptor II Machabaeorum petit.

### Tertius Fons, Liber inspiratus

30. Ex Sacra Scriptura potest inspirationis natura cognosci. — S. Scriptura est divinae fons revelationis, ac de hoc quidem iam ante locuti sumus, cum de revelationis fontibus agebamus<sup>1</sup>; restat autem nunc de Scriptura disputare, ut de certo effectu propriam habente causam, quae ex effectu cognosci potest. Iam nunc omne agens agit sibi simile, inde est effectus cum causa similitudo, id etiam quod effectus cognitio cognitionem causae facit. Iam autem et Deus agens principalis hominem inspirans ad scribendum et homo instrumenti instar scribens sunt Sanctae Scripturae causae efficientes. Deus ergo et homo scriptor Scripturas sibi conficiunt similes, ob eamque causam Sacrae Litterae habent Dei hominisque similitudinem, et quod magnopere nunc refert, Scripturarum cognitio cognitionem facit suae causae efficientis. Ratio porro qua Deus est Sacrorum Librorum auctor principalis instrumentalisque homo nihil est aliud nisi inspiratio. Cognitio igitur Divinarum Litterarum cognitionem inspirationis certe facit.

31. De cognitionis viis a priori et a posteriori appellatis. — Cuiusque rei cognitio vel ab eius causa vel ab effectu accipi licet, hic vero modus cognitionis a posteriori dicitur, ille autem a priori. Cum autem de inspiratione disseritur, via a priori illa nominatur, quae ad inspirationis cognitionem fontibus revelationis perducit; natura enim divina, quae est causa divinae inspirationis ex revelationis fontibus cognoscitur<sup>2</sup>. A posteriori autem illa

<sup>1</sup> Nr. 18 et seq.

<sup>2</sup> Cf. nr. 12. Fons autem scriptoris sacri viae a priori subiicitur, quia homo inspiratus est causa instrumentalis; at cum ea pauca quae de scriptoribus exstant magis ad investigationem Scripturarum pertineant, fons scriptoris apte in via a posteriori est reponenda.

via est quae natura, vi et reliquis conditionibus Librorum Sacrorum ad istorum causam, inspirationem perducit<sup>1</sup>.

32. Ad perfectam inspirationis cognitionem non sufficit via a posteriori. — Nonnulli ve-  
lint dumtaxat uti via a posteriori. Eorum argumentatio a M. Dick per cuiusdam exegetae personam sic exprimitur: „Quemadmodum libitum Deo est Litteras Sanctas inspirare? Profecto id variis potuit modis facere. Iam autem quomodo fecit? A priori sane nihil potest dici; oportet autem canonicos Libros evolvere, omnibus omnino rebus illos considerare, ac prius quomodo et quid illi sint sciendum est, quam eorum inspirationem“ etc.<sup>2</sup> Haec tamen via sola certe ad inspirationis notionem omni genere perfectam perducere non potest. Etenim primum integra natura causae ex effectu non plene cognoscitur. Idque maxime evenit cum est de his effectibus sermo, quos Deus foras facit; Deus enim eorum non est causa univoca. Via igitur a posteriori, etiamsi ad aliquam inspirationis cognitionem ducat, non tamen ad perfectam atque absolutam. Deinde investigatione naturae Divinorum Librorum inveniri possunt communes conditiones humanorum librorum, quod si in Sacris Litteris quid aliis praestans reperiatur, id sane huius erunt generis, quo abutentes protestantes inspirationem esse conantur efficere, quae sunt aut doctrina summa et divina naturali dicendi genere illuminata, aut cohaerentia totius Scripturae maxima, aut miracula prophetiaeque in Divinis Litteris descripta, aut illa vis Scripturarum propria, qua ad supera atque coelestia legentes traducit. Haec quidem, postquam sit inspirationem existere aliunde stabilitum, illud profecto confirmant; sed ipsa sola id non valent penitus ostendere: hoc enim unius est revelationis. Eo minus ergo huiusmodi res poterunt inspirationis naturam absconditam declarare plane. Postremo Ecclesia ipsa rationem respuit quae omne illud praetermittit, quod superat naturam, ac via a posteriori tantum utitur. In Decreto enim „Lamentabili“ hic error reiicitur: „Exegeta si velit utiliter studiis biblicis incumbere, imprimis quamlibet praeorconceptam opinionem de supernaturali origine Scripturae sacrae seponere debet, eamque

<sup>1</sup> Cf. I. V. de Groot, O. P., etsi apud eum nomina a priori et a posteriori non idem valeant: Summa Apologetica, Ratisbonae, 1906, p. 651.

<sup>2</sup> Rev. Biblioq. 1896, p. 488.

non aliter interpretari quam cetera documenta mere humana<sup>1.</sup> Item in iureiurando Motus proprii „Sacrorum Antistitum“ reprobatur diiudicandi atque interpretandi ratio, quae criticem textus velut unicam supremamque regulam, haud minus licenter quam temere amplectitur.<sup>2.</sup> Quod etsi de interpretatione dicatur, videtur tamen ad inspirationis indagationem probe referre<sup>2.</sup>

33. Officium viae a posteriori. — Sunt qui, contenti argumentis quae ex fontibus hauriuntur divinae revelationis, demonstrationes spernunt, quas viri disquisitioni naturae Librorum Sacrorum dediti, collegerunt. Id quidem immerito. Nam revelatio primum, dein natura Sacrorum Librorum, sine ulla conflictatione, una ad inspirationis notionem declarandam confluere debent. Revelatio quidem quod unum est omnium maximum affert, nempe Deum esse auctorem principem hominemque instrumentum. Id facile patet universam continere doctrinam, quae non solum omnes Scripturas, a verbo „In principio“ (Gen. I, 1) usque ad „Amen“ (Apoc. XXII, 21) complectitur, verum est etiam quasi mensura omnium quae de inspiratione disputantur, qua re quicquid ei aduersetur est obruendum. Non tamen haec doctrina ea omnia tradit, quae ad singulas Scripturarum res pertinent, sed de iis iudicare est munus viae a posteriori. Quae, exempli causa, docet inspirationem non esse Apostolorum praerogativam, Lucas enim duos conscripsit libros inspiratos; item fuisse in scriptorum sacrorum potestate fontibus uti, atque his revera saepe numero usi sunt, ut ex librorum quasi structura apparet, et in ipsis libris aliquando etiam fontes commemorantur, ut in I Paralip. XXIX, 29; similiter inspirationem non versari modo in veritates, quibus possunt aut non usus vitae conformari,

<sup>1</sup> Denzinger, loc. com. nr. 2012.

<sup>2</sup> P. Schiffini S. I., de quo dicit P. Méchineau S. I. „... que dire du R. P. Schiffini? Chez lui — aucun de ceux qui le connaissent ne me démentira — la sensibilité doctrinale est constamment en acte, je devrais dire en ébullition. Pas n'est besoin pour l'exciter des petits livres rouges; il suffit d'un petit bleu de la collection Blond (Science et religion), soixante pages in — 12, en opposition avec ses chères doctrines, pour le faire sortir de ses gonds.“ (L'idée du Livre inspiré, par le P. Lucien Méchineau S. J. Rome, 1908, p. 9.) P. igitur Schiffini de sententia modo disputata dicit: „Haec postrema opinio figuratum est“ „... Manifeste praeterea dicit ad intolerabilem fanaticum.“ Divinitas Scripturarum, p. 26 et 27.

idque vel sint secundum vel extra naturam, sed in res quoque gestas et omnia ex quibus constat historia; atque argumentandi genus, quod ad hominem vocant, non abhorre ab inspirato scriptore, plerique enim in S. Pauli epistolis huiusmodi existimant inveniri; et „scriptores sacros res ipsas (naturae) aliquando describere et tractare aut quodam translationis modo, aut sicut communis sermo per ea ferebat tempora<sup>1</sup>“, et alia huius generis sexcenta, quae omnia colligit ac tractat via a posteriori. Haec ergo uberrimus est fons, ex quo natura hauritur inspirationis; haec erit, ut verbis philosophorum utamur, materia, forma vero revelatio; si igitur non conglutinantur hi duo fontes, notio inspirationis numquam erit, quantum res fert, absoluta. Si Theologi quidem unice via a priori freti, sola autem via a posteriori exegetae, velint inspirationis naturam invenire, facile in errorem rapientur, ac venient in vituperationem, et de illis id posset affirmari, quod dicit Cicero contra Hermagoram qui iuxta amplitudinem suaे scientiae oratoris materiam distribuit: „Hermagoras . . . videretur fretus sua scientia, falsum quiddam constituisse de oratoris officio, et non quid ars, sed quid ipse posset, exposuisse<sup>2</sup>.“ Hac de re, sive qui magis theologicis, sive qui magis Scripturarum studiis obsequuntur, mire consentiunt; quorum liceat unum exemplum proferre. P. I. Brucker S. I. „non modo, ait, utile, verum est etiam necessarium, ut quis integrum inspirationis notionem cognoscere possit, scrutare libros, qui hac inspiratione fuerunt exarati<sup>3</sup>.“ P. Lagrange rerum Scripturarum spectatus scriptor „et ratio, ait, et usus Sacrorum Librorum sunt coniungendi; cum vero de natura agatur inspirationis, videtur, ut conditio rerum postulat, esse primas rationi dandas, sed cum sermo sit de modo atque materiae inspirationis, quod, nisi Sacras Litteras lectitando percipere potest nemo, usus Scripturarum tenet principatum<sup>4</sup>.

<sup>1</sup> Encyclic. „Providentissimus“. Camerlynck, loc. com. p. 21.

<sup>2</sup> Cicero: De Inventione rhetorica. Lib. I.

<sup>3</sup> Études des Pères de la Compagnie de Jésus. Tom. 106, p. 855.

<sup>4</sup> P. Lagrange, O. P. La Méthode historique. Paris, 1903, p. 80.

— H. Merkelbach autem affert Patrem Lagrange et Zanecchia, ut duces cuiusdam scholae, quae naturam inspirationis quaerit via a posteriori: „Telle est la formule, dont il usent de préférence: il serait inutile d'étudier la Bible *a priori*, il faut l'étudier dans la Bible même.“ Continuo iure quidem reiicit hanc viam. Nobis autem longe ea quae Merkelbach dicit de Patre Lagrange et Zanecchia abesse ab

P. Alfredus Durand S. I. etiam optime de hac quaestione disserit<sup>1</sup>.

### Primae partis conclusio

34. **E p i l o g u s f o n t i u m.** — Nemini ea consideranti, quae ex fontibus accepimus, non occurret inspirationis notionem sensim ac pedetentim progredi, ac magis in dies perpoliri. 1. Nam in initio apud Iudeos, inspirationis ratio est universa, in ea enim origo solum divina humanaque

eorum consilio videtur. P. Lagrange enim quamquam insistat in via a posteriori, id tamen non facit nisi cum loquitur de terminis, quibus naturam, prope dicam metaphysicam inspirationis, oporteat circumscribere, et etiam cum de modo disputat, quo illa natura ad singulos libros locosque librorum singulos conveniat. In disputatione autem de inspirationis natura via utitur a priori, quod ex iis, quae supra diximus plane liquet. Id clariori quoque appareat luce in Revue Biblique, 1896, p. 199 et seq. ubi diserte rem propositam tractat. En eius via et ratio: „Comment se pose pour les chrétiens le problème de l'origine divine des Écritures?“ p. 200. Ad hanc quaestionem respondet p. 201—204. Altera disquisitio est: „Comment l'entend l'Eglise?“ Cum vero de hoc disputat p. 204—206 notionem explicat inspirationis in Conciliis Florentino, Tridentino et Vaticano. Deinceps, duce D. Thoma subtilius scrutatur naturam inspirationis; neque Encyclicam „Providentissimus“ neglit, sed eam ad suam sententiam confirmandam profert (p. 212). Ergo ipse via a priori naturam inspirationis declarat, eamque confirmat, definit, perficit via a posteriori. Minus autem ea Patri Zanecchia attribui possunt, quae H. Merkelsbach dicit; quia etsi via a posteriori P. Zanecchia perficit naturam metaphysicam inspirationis, ut in libro „Scriptor Sacra“ p. 83 et seq.; tamen in ipso opusculo, et in opere „Divina inspiratio“ tractat quaestionem quam maxime a priori; duce enim D. Thoma ac firmis et philosophicis et theologicis argumentis suffultus, tam subtiliter rem exponit, ut nemo sic ante eum fecerit; quod certe adipisci nullo pacto potuisset sola via a posteriori.

<sup>1</sup> En quomodo de duplice via disserit: „Par l'emploi exclusif de l'un ou l'autre des deux procédés (ce que du reste personne ne propose de faire) on n'arrivera qu'à une analyse incomplète, et peut-être erronée, de l'inspiration. La spéculation pure aboutit facilement à une théorie rigide, incapable de se plier à l'état concret des textes. D'autre part, l'analyse littéraire et historique de ces mêmes textes ne révèle pas leur origine divine; elle peut bien donner à connaître ce que n'est pas l'inspiration, mais, réduite à ses ressources propres, elle ne nous apprend pas en quoi elle consiste.“ De officio vero theologiae et exegesis: „C'est à la theologie positive qu'il appartient de fournir le point de départ. En cours de route, dans les passages encore mal explorés, la scolastique fera de la lumière et du large, mais à la condition de prêter une attention constante aux indications de l'exégèse et de la critique.“ Dictionnaire Apologetique de la Foi etc. 1. Méthode à suivre. a.

Scripturarum continetur. — 2. Ab ista vero notione primum Deum esse Divinorum auctorem Librorum manat, et auctorem quidem principalem; id enim una significant voce et Scripturarum fontes et priscorum Ecclesiae monumentorum et SS. Patrum. — 3. Sed apud Patres ab auctoris notione actio seu Dei inspiratio disagregatur, aperteque patet ideo Deum esse auctorem, quia ipse inspiravit. Hoc ex Scripturis Sacris quoque erui poterat; sed huic doctrinae Concilium Florentinum imposuit fastigium: „profitetur auctorem: quoniam eodem Spiritu Sancto inspirante“ etc. — 4. Inspiratio autem menti maxime prodest, et ab illa omnino repellit errorem. Sic esse a SS. Patribus accepimus, atque illorum sententia Encyclica „Providentissimus“ vehementer confirmatur. Ita enim una eademque virtus divina tam diu excitat, movet sacros scriptores et ita eis adstat, quam diu illi res et sententias concipiunt, eas aliis tradere volunt, ac litteris mandant, ut nullus possit elabi error. Nec scriptores ergo nec Sacrae Litterae falsis depravantur opinionibus. — 5. De munere quoque scriptoris sancti fontes loquuntur. Etenim eum esse Dei ministrum seu instrumentum in litteris ipsorum Iudeorum iam reperitur; magis autem in Scripturis apparet; apud Patres vero illud est luce clarius; at Leo XIII in Encyclica „Providentissimus“ magno opere hanc doctrinam illustrat atque explanat. — 6. Nec termini inspirationis sunt a fontibus praetermissi. Scripturae enim docent inspirationem singulas res et sententias complecti; SS. Patres vero omne illud, quod quavis ratione, ad Litteras pertineat Sacras. Haec universa doctrina, a Patribus peranguste et breviter coarctata, in Conciliis Tridentino et Vaticano atque in Encyclica „Providentissimus“ dilatatur et explicatur. Nostris autem temporibus de bipartita disputamus extensione, ut appellant, inspirationis, quarum altera ex libris, ex librorum variis partibus et ex rebus in illis traditis constat, altera vero ex verbis Scripturae, unde nomen obtinuit inspirationis verbalis. De prima sermo est in Conciliis Tridentino et Vaticano, ubi affirmatur Libros Canonicos cum omnibus suis partibus esse inspiratos, et in Encyclica „Providentissimus“, quae omnium rerum Scripturarum tuetur inspirationem. Altera autem, inspiratio scilicet verborum, in eadem Encyclica plane et aperte traditur. Non enim dicitur Deum excitare, movere, adstare ut sacri scriptores et conciperent et vellent tantum, sed illud

etiam quod magni refert ut „apte infallibili veritate exprimerent“. Atque adiungitur „secus non ipse esset auctor sacrae Scripturae universae“. Quam ob rem si virtus divina non movet scriptores ut verbis res conceptas ac volitas „apte infallibili veritate“ exprimant profecto, Deus non „esset auctor sacrae Scripturae universae“. Ergo inspiratio non modo in res et sententias permanat, sed in verba etiam. Hactenus de conclusionibus ex fontibus revelationis, seu ex via a priori, diximus, quae quidem diligentissime sunt custodiendae. Ea vero quae ex fontibus hauriuntur revelationis et notionem inspirationis universe exhibent, via a posteriori, seu locis sancti scriptoris Librorumque sacrorum absolvuntur ac perficiuntur. Sic, ex S. Luca et ex scriptore II libri Machabaeorum apparet scriptorem inspiratum, naturalibus rationibus, modo quo apud alios viget scriptores, fuisse ad librum exarandum impulsum, atque aliquid non quidem supra vires hominum positum, consequi voluisse; cum vero operam libri dant confectioni, evolvunt studiose fontes, ac sacri scriptores, sicut et alii, multum operae laborisque consumunt; sed neque inspiratio ab aliquo in opere non penitus perfecto, nec ab epitomes confectione abhorret. Exegesis autem Scripturarum multa alia affert ad inspirationis explanationem.

Notio tamen inspirationis qualis superioribus ex fontibus manat, non est adhuc omni genere absoluta, nec censimus fontes fuisse prorsus exhaustos. Sed praeter id quod ex acriori fontium studio assequi potest, aliud idque magnum restat subsidium, theologia, ad quam configere, a qua opem petere debemus. Theologia enim et in traditionis ecclesiasticae locum successit haeres, et eiusdem traditionis est verax ac legitima explicatrix. Itaque ardens studium inspirationis fontium, Iudeorum videlicet, Scripturarum, SS. Patrum, scriptorum sacrorum et exegesis Litterarum Divinarum, auxilio roboratum Theologiae, ad ecclesiastica praeparabit decreta, quibus tandem inspirationis natura modo firmo et stabili explicabitur.

35. De S. Thomae principatu in quaestione de inspiratione. — Scriptores qui post SS. Patres in Ecclesia floruerunt sunt Patrum secuti doctrinam; parum tamen disputationem auxerunt de inspiratione; sed nec scholastici hac in re, ante D. Thomam longius progressi sunt. Princeps vero Theologorum inspirationis notionem tam

ample exornavit, ut deinceps merito ei, tamquam clarissimo in re adeo ardua duci, omnes fere assentirentur. Iure P. Pesch: „S. Thomas Aquinas, ait, doctrinam de inspiratione S. Scripturae ita expolivit, ut per multa saecula vix quidquam alicuius momenti ad eam additum sit<sup>1</sup>.“ S. Thomas illud hac in quaestione, quod in caeteris fecit, perpaucis nimirum verbis est universam doctrinam catholicam complexus, atque explanavit hanc doctrinam, locupletavitque. Nam ab incunabulis revelationis in Iudeorum disciplinis exstat Deum esse Litterarum Sacrarum auctorem principalem, hominem vero scriptorem instrumentalem, quod magis in dies evolvitur in S. Scriptura, apud SS. Patres, in ecclesiasticis monumentis, in his quae a sacris scriptoribus acceptimus et ab studio Sacrorum Librorum<sup>2</sup>. Porro S. Thomas vocem universae Ecclesiae catholicae hoc pacto quasi formula quadam rededit: „Deus, ait, est auctor principalis, homo vero auctor instrumentalis.“ Verum est S. Doctorem peculiarem inspirationis tractationem sibi non assumpsisse; sed tamen eam simul tractat cum prophetia; iam vero secundum S. Thomae sententiam in prophetia Deus est auctor principalis, propheta vero instrumentum. Ergo in inspiratione quoque. Esse autem prophetam instrumentum est perspicuum ex lumine prophetico, quod est virtus instrumentalis<sup>3</sup>, ob eamque causam prophetarum mentem sublevat<sup>4</sup>; et non remanet habitus instar constanter, sed solum transeunter<sup>5</sup>. Nec vero non reperiuntur loci quidam ubi S. Thomas de Scripturis Sanctis disserens, ad efficiendum plures in eis esse sensus, hac ratione utitur: „Spiritus Sanctus . . . est principalis auctor divinae Scripturae<sup>6</sup>.“ Nusquam autem tam accurate tamque clare locutus est ut in Quodlibet. VII, a. 14, ad 5: „Auctor principalis sacrae Scripturae est Spiritus Sanctus . . . homo . . . fuit actor instrumentalis sacrae Scripturae.“ Et quod magni refert est S. Thomam ea quae in universis fontibus, de quibus supra diximus, erant dispersa et dissipata, omnia conglutinavisse, rationeque auctoris principalis et instrumentalis constrinxisse; ex

<sup>1</sup> loc. com. nr. 169. — <sup>2</sup> Cf. nr. 45, 1, 2, 5. — <sup>3</sup> II, II, Q. 173, a. 3, ad 3. — <sup>4</sup> Q. D. De Veritate. Q. 12, a. 6, ad 4.

<sup>5</sup> II, II, Q. 171, a. 2; 174, a. 3, ad 2; 178, a. 1, ad 1. — De Verit. Q. 12, a. 1; a. 13, ad 3.

<sup>6</sup> Q. D. De Potentia, Q. 4, a. 1. — Cf. I, Q. 1, a. 10; II, II, Q. 173, a. 4.

qua illae late diffusae doctrinae catholicae arte quadam mirabili, tamquam ex fonte uberrimo, manant. Nullo enim errore nec scriptorem sacrum adfici, nec Scripturam, inspirationem etiam comprehendere sive libros omnes, sive singulas singulorum librorum partes, sive res et sententias, sive ipsa verba, quae quidem ex inspirationis fontibus cognoscimus, praecipue rationi causae principalis et instrumentalis conveniunt, imo ea esse tali modo eadem ratio petit. Quidquid autem de inspirationis notione est in fontibus obscurum, ex doctrina agentis principalis et instrumentalis facile ducitur, cuiusmodi est quaestio de commotionibus animi scriptoris ac de cogitatione seu phantasia, ut graeco vocabulo utamur. Reliquae etiam res Divinarum Litterarum propriae, ut Scripturas esse divinas, canonicas, maximam habere auctoritatem, ab eadem sunt ratione repetendae. Normarum denique et praescriptionum hermeneuticae fundatum aliud non est nisi ratio causae principalis et instrumentalis<sup>1</sup>. Laus igitur D. Thomae in hoc est praecipue posita, quod universam doctrinam ecclesiasticam formula quadam constrinxit; ex qua omnia quae ad inspirationem pertinent incredibili manant arte. Sicque iure Doctor Angelicus rationis ac doctrinae inspirationis auctor est censendus. At parum formula, de qua diximus, valeret, si S. Thomas non doceret ipse notionem totam, causae principalis et instrumentalis; sed ex eius libris quid de hac re senserit possumus copiose colligere, atque ad inspirationem omnia referre. Ipse insuper Doctor illam rationem ad scriptoris mentem, quae sane est pars praecipua in inspiratione, iam retulit, cum de prophetia disputavit, sive in Summa Theologica<sup>2</sup>, sive in Quaestionibus Disputatis<sup>3</sup>; ad reliqua vero referre studii nostri est ac laboris.

**36. Inspirationis notio post D. Thomam.** — Oraculis S. Thomae omnes Theologi usque ad Concilium Tridentinum tamquam voci totius Ecclesiae catholicae assentiebantur. Lessio nihilominus alia placuit docere; etsi vero ea quae de inspiratione appellata subsequente affirmaverat,

<sup>1</sup> Probe igitur P. Zapletal 2<sup>am</sup>. partem operis „Hermeneutica Biblica“ inscripti in 3 sectiones distribuit; quarum 1<sup>a</sup>. de causa instrumentalis agit; de causa vero principali 2<sup>a</sup>. sectio, cum qua 3<sup>a</sup>. facile connectitur.

<sup>2</sup> II, II, Q. 171—174. — <sup>3</sup> De Veritate Q. 12.

emendavit<sup>1</sup>, caetera tamen de inspirationis natura nempe: 1. „Ut aliquid sit Scriptura sacra, non est necessarium, singula eius verba inspirata esse a Spiritu Sancto; 2. non est necessarium ut singulæ veritates et sententiae sint immediate a Spiritu Sancto ipsi scriptori inspiratae<sup>2</sup>“, sine retractatione reliquit. De quibus Kleutgen affirmat: „doctrinam continent, non solum sanam et probabilem, sed ex quo haec quaestio a theologis accuratius tractari cepit, longe communiorem<sup>3</sup>.“ Lessii autem opinionem inconditam et incomptam Card. Franzelin ornavit<sup>4</sup>. Etenim utitur modo, secundum Dauschi iudicium, iam a Serario adhibito<sup>5</sup>, ad notionem inspirationis inquirendam; nempe ex formula „Deus est auctor librorum S. Scripturae“, id seiungendo quod huic repugnat formulae, et quod ea postulat suscipiendo, invenire conatur notionem inspirationis. Haec ratio non esset omnino spernenda, et multum iuvaret de inspiratione quaerentem; exorditur enim a veritate, quae etiam si in se non contineat universam doctrinam catholicam, sicut formula S. Thomae, Deus est auctor principalis homoque instrumentalis; tamen huius quamdam saltem partem complectitur. At formula „Deus est auctor librorum S. Scripturae“, videtur dicis tantummodo gratia proferri. Nam ea quae Franzelin docet, non sunt profecto ab illa formula repetita, sed aliunde, ab opinione videlicet non omnibus probata, quae neque est traditionis catholicae, neque ex fontibus inspirationis manat, neque ex formula „Deus est auctor librorum S. Scripturae“; sed ex quadam distinctione, suo arbitratu facta, in partem materialem et formalem libri; et ex conclusione, cuius nec vestigium fere in traditione reperitur, Deum esse auctorem partis formalis, non vero materialis libri. Itaque Deum verborum seu partis materialis libri esse auctorem negatur, ob eamque causam inspirationem attingere verba<sup>6</sup>. Sic Franzelin ea quae Lessius

<sup>1</sup> Cf. nr. 34. — <sup>2</sup> Cf. Kleutgen, loc. com. p. 466. — <sup>3</sup> Ibid. p. 475.

<sup>4</sup> Eamdem tenet sententiam P. Alfred Durand S. I., qui de inspiratione verbali loquendo sic ait: „Jusqu'à la fin du XVI<sup>e</sup> siècle, l'inspiration verbale était enseignée dans l'Ecole. Les Jésuites de Louvain furent les premières à réagir... Le Card. Franzelin semble lui avoir donné sa formule définitive.“ loc. com. III. Étendue de l'inspiration. 2. Inspiration verbale, p. 907.

<sup>5</sup> Dr. P. Dausch: Die Inspiration des Neuen Testamentes, p. 16.

<sup>6</sup> Cf. Tractat. de Div. Tradit. et Script., p. 348 et seq.

voluit de verborum inspiratione arte quadam obtegit. P. Pesch autem apicem scholae Lessii imposuit<sup>1</sup>; nam propterea quod Deus est auctor librorum S. Scripturae, et propterea quod de ratione auctoris non sit necesse nisi ut scriptor alicuius libri de rebus et sententiis habeat iudicium practicum, dicit Deum iudicii solum practici esse auctorem, et inspirationem tantum iudicium practicum amplexi. Unde videntur ea quodam modo revocata, quae Lessius de inspiratione veritatum et sententiarum existimat, ad artem quam Franzelin effecit. Ex quo consequitur scholam in formula Deus est auctor librorum S. Scripturae, naturam inspirationis quaerentem, quae primo fronte parum ab ea differre videtur, quae S. Thomae assentitur, longe ab ipsa in conclusionibus abesse. Ex formula enim D. Thomae, Deus est auctor principalis homoque auctor instrumentalis, eruitur Deum esse et generis libri et modi dicendi et rerum et sententiarum et ordinationis rerum et electionis verborum et verborum ipsorum auctorem principalem; atque earumdem rerum auctorem instrumentalem hominem. Sed ex formula Franzelini, vel potius ex eius modo argumentandi, Deus est auctor unice iudicii practici, quo scriptor iudicat aliquam rem esse conscribendam. Sed ut ad propositum redeat oratio, post Concilium Tridentinum Theologi et Exegetae sunt in duas scholas divisi. Nostris autem temporibus inspiratio adhuc in contentione versatur, de qua D. Bède Lebbe dicit: „Encyclica ‚Providentissimus‘ commoti sunt catholici ad studendum inspirationem et veritatem Scripturarum. Ea vero quae P. Lagrange luculenter scripsit (R. B. 1895, 1896, 1897) vehementius contentionem, in qua erat natura inspirationis posita, incendit. Quae quidem quaestio iam tantum pertracta, quantum Theologiae ferunt argumenta, videtur optime exposita ad normas secundum S. Thomae doctrinam, secundum quam scriptor inspiratus est instrumentum liberi iudicii particeps, atque sic lumine et motione divina movetur, quin tamen aliquid de iis perdat, quae ad suam naturam pertinent, ut opus effectum sit Dei tamquam auctoris principalis, et scriptoris humani tamquam instrumentalis<sup>2</sup>.<sup>4</sup>

<sup>1</sup> Patris Pesch opinionem alias tractabimus.

<sup>2</sup> D. Bède Lebbe: De l'inerrance de la Bible etc. Revue Beneditine, Tom. 22, 1905, p. 251.

37. Scriptores qui sententiam S. Thomae evolverunt. — Nonnulli scriptores operam dederunt, ut ea quae S. Thomas docuit de causa principali et instrumental ad inspirationem referrent. Omnim primus fuit P. Pègues, O. P. in „Revue Thomiste“ 1895<sup>1</sup>; ipse vero dicit Patrem Brandi, S. I. iam significavisse S. Thomae doctrinam de causa instrumental magnum esse subsidium explanationi naturae inspirationis; sed P. Brandi hac in re parum laboris consumpsit<sup>2</sup>. Deinde P. Lagrange, O. P. quoque in „Revue Biblique“ 1896<sup>3</sup>, doctrina S. Thomae munitus, naturam perscrutatur inspirationis; sed cum ille neque ea praetermittat quae Librorum exegesis offert, apparet in sua disputatione quam optime concordent argumenta theologica et res quas exegesis nostris ostendit temporibus. Postea P. Zanecchia, O. P. subtilius quaestionem investigat, ac multum operae rebus abditis in enodandis consumit<sup>4</sup>. Sunt etiam alii scriptores, qui, duce D. Thoma, inspirationis naturam exposuerunt, quorum liceat commemorare C. Chauvin<sup>5</sup>, P. Ed. Hugon, O. P.<sup>6</sup>, P. Hugh Pope, O. P.<sup>7</sup>. H. Merkelbach quoque, paucos abhinc annos, summatim dilucideque, more Thomistarum, de hac quaestione disseruit<sup>8</sup>.

38. Ratio in explanatione inspirationis sequenda. — Viam a priori prosequemur et a posteriori. A priori doctrinam traditionis ecclesiasticae, quam D. Thomas formula constrinxit, explicabimus. Cum vero via a posteriori possit disputationi lumen afferre, ab ea auxilium petemus. Nec a Doctore Angelico dissentiemus, cum ad causam instrumentalem revocabimus mentem, voluntatem, cogitationem et motus animi sacrorum scriptorum; sed in his quae pertinent ad mentem, afferemus doctrinam S. Thomae in disputatione de prophetia traditam, in aliis vero adhibebimus principia psychologica ab ipso S. Doctore con-

<sup>1</sup> Une pensée de Saint-Thomas etc., p. 95 et seq.

<sup>2</sup> Salvatore M. Brandi, S. I.: La questione biblica etc., p. 17 et seq.

<sup>3</sup> p. 198 et seq.; p. 496 et seq. Cf. etiam 1895, p. 563 et seq.; La Méthode historique, p. 71 et seq.

<sup>4</sup> Divina inspirat. S. Script. et Scriptor sacer.

<sup>5</sup> L'inspiration des divines Écritures.

<sup>6</sup> La causalité instrumentale, p. 34 et seq.

<sup>7</sup> The scholastic view of Biblical Inspiration, Rome, 1912.

<sup>8</sup> L'inspiration des divines Écritures.

stituta. Ne autem confusio oriatur ab expositione notionis causae principalis et instrumentalis mixta cum inspirationis natura, separatim has duas quaestiones tractabimus: itaque in altera parte declarabimus vim causae principalis instrumentalisque; in tertia vero illam ad inspirationis naturam referemus<sup>1</sup>.

(*Sequitur*).

## KANN EIN SYSTEM DER TUGENDEN SUB SPECIE PSYCHOLOGICA ERRICHTET WERDEN? <sup>2</sup>

Von Dr. GREGOR v. HOLTUM, O. S. B.

„Der Reiz, welcher in der Anwendung der psychologischen Methode auf Glauben und Theorie liegt, ist so groß, daß er mehr als einen verleitet hat, sie um des Prädikates der Wissenschaftlichkeit willen in Psychologie aufzulösen . . . So wird die Theologie eine psychologische Erfahrungswissenschaft.“ — A. Rademacher in „Theol. Revue“ Nr. 1/2, Sp. 26, Jahrg. 1915.

Auch die Verfasserin des unten zitierten Werkes hat, beeinflußt von diesem Reize, ein besonderes theologisches Kapitel, die Tugendlehre, in neuer, psychologischer Methode zu behandeln unternommen. Sie sagt darüber: „Der Versuch, die überaus große Zahl der natürlichen sittlichen Einzeltugenden dergestalt in ein System einzureihen, daß dieselben in ihren Zusammenhängen untereinander sofort erkennbar und verständlich sind, kann nur<sup>3</sup> unter An-

<sup>1</sup> Proposito investigandi inspirationis naturam, duce D. Thoma, a P. Brandi, S. I. declaratur hoc pacto: „Basterà qui citare le parole dell' Angelico Dottore, il quale, compendiando nei suoi aurei volumi tutta quanta la dottrina tradizionale cattolica, ci assicura che, secondo quella, l'ispirazione de' sacri Libri richiede che di tutti e di ciascuno, come di tutte e singole le loro parti, si verifichi la formula theologica: *Spiritus Sanctus est auctor, homo vero instrumentum* (Quodlib. 7, quest. 6, art. 16). Postea etiam: „Dalla formula di S. Tommaso citata nel paragrafo precedente, non è malagevole cosa intendere in che senso Dio dicasi *Autore* de' sacri Libri, e quindi illustrare, secondo l' insegnamento contenuto nell' Enciclica, la natura e la estensione della loro divina ispirazione,“ loc. com. p. 17—19.

<sup>2</sup> Vgl. die Schrift: Die christliche Persönlichkeit im Idealbild. Eine Beschreibung sub specie psychologica. Von Dr. Gabriele Gräfin Wartensleben. Kempten und München, Kösel, 1914.

<sup>3</sup> Die im Druck hervorgehobenen Stellen hat die Verfasserin selbst hervorgehoben.